BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
6 B
8

Google

P. Cirini M.O. ad simpliciter usum 1830

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM

NOVUM, PERUTILE, AC PERSPICUUM,

AUCTORE

D. GABRIELE MARIA DE VALENZUELA

Cordubenſe, Clerico Regulari S. Pauli Barnabitarum, Procuratore Generali Miſſionum ſuæ Religionis, Theologo Votante Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ,

ET CORAM CLEMENTE XII. Epiſcoporum Examinatore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCCLVIII.

Apud Jo: Baptistam Recurti.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVIL.

AUCTOR

Benevolo Lectori.

QUÆ hoc in Univerſæ Theologiæ Moralis Compendio proferuntur, pauca ſunt, ſi Liber ſpectetur, plura, ſi legatur. Enitet in ipſis divinus amor in homines, & inde eniteat humanus amor in Deum. Quos Chriſti ſervos fecit Baptiſma, quos milites Confirmatio, filios, & amicos Euchariſtia declarat, & nutrit, ſe tamen prius per Pœnitentiæ Sacramentum, ut decet, meo Apoſtolo monente, probantes. Verum an non perfectius, digniuſque continget, ſi per alia Sacramenta, vel Ordinis, vel Matrimonii, prout cujuslibet conditio poſtulaverit, Domino copulentur: ut quemcumque ſibi ſtatum definierint, non facta carnis ſectantes, ſed opera ſpiritus adimplentes, tandem extrema Unctione ſuffulti, illud valeant revelata facie contemplari, cui ſub ſenſibilibus rebus abſcondito pro viribus adhæſerunt. Hæc omnia habes amice Lector in prima Parte. Tædium auferet brevitas, utilitatem proferet claritas. Utraque ſibi tuam benevolentiam pollicetur.

In Secunda Parte quam multa item vides paucis in paginis digeſta, ea quidem tanti facienda, quanti humanorum actuum rectitudo, & Chriſtiana politia

æſtimata conſcientia in ipſo limine exhibetur, quam ſi lædemus peccatis; actibus impudicis, eaque quam moroſam appellant, delectatione, vel in nos clamat, ut arguat, vel ſilet, ut condemnet. Habes alia plura, quibus, vel ad vitam quis inſtituatur vel trahatur ad mortem. Inſtituitur per juramentum rite prolatum, per votum, per reſtitutionem, per virtutes Theologicas, per jejunium, divinumque Officium. Trahitur vero, ſi vel in iſtis, ut decet, exercendis deficiat, vel ſi mendacium, Furtum, Uſuram, Simoniam, Hæreticorum errores, contractuſque vetitos conſectetur. Hæc omnia proferre mens cogitat, imo aggreditur calamus; Opus exiguum revolve; magnum erit, ſi diſces, quæ turpia ſunt, vitare, quæ meliora complecti, & cum Pſalmiſta Reali declinare a malo, & facere bonum.

In Parte Tertia habet homo plura, quibus erigitur in hac vita, habet plura, quibus deprimitur, non deſunt manus, quæ a vinculis ſolvant, quæ vinculis obſtringant. An ignoramus Cenſuras, excommunicationes, ſuſpenſiones, depoſitiones, degradationes, interdicta, & irregularitates? Quid ſi immunitas Eccleſiaſtica contemnatur? Si dies Feſti violentur, foveantur odia, bella injuſte, & duella impie ineantur? Quid ſi polluatur domus Dei, ſi Monialium Clauſura violetur, ſi non ſolvat, ſed ad peccata pertrahat Confeſſarius? Hac de re non inutilis mihi, lector, ſi de hiſce omnibus

ſcri-

ſcripſi, non inutilis Tibi, ſi leges. Lege ergo, & ſcias iſtis in paginis nihil eſſe meum, ſed omne deſurſum deſcendens a Patre luminum. Scias denique cum Apoſtolo meo Divo Paulo Gentium Doctore, meæque Congregationis Patrono Maximo, illud, quod ſemel ad Teſſalonic. ſcribens (Spiritu Sancto afflante) dixit: *Ita loquimur, non quaſi hominibus Placentes, ſed Deo, qui probat Corda noſtra, nec quærentes ab hominibus Gloriam, neque a vobis, neque ab aliis*. Epiſt. 1. ad Theſſalonic. cap. 2.

Approbationes.

CUm librum, cui Titulus eſt: *Novum, Perutile, & Perſpicuum Univerſæ Theologiæ Moralis Compendium*, a P. D. Gabriele Maria de Valenzuela Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo compoſitum, duo ejuſdem Congregationis noſtræ eruditi viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & gravi Judicio recognoverint, & poſſe in lucem edi probaverint: Nos, ut Typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, ſigilloque noſtro muniri juſſimus. Datum Pariſiis in Collegio noſtro Sancti Eligii Die 28. Menſis Februarii Anni 1730.

Don Carolus Auguſtus Capitain Præpoſitus Generalis.

D. Ambroſius Caitbout Pro-Cancellarius.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fratris Joannis Benedicti Zuanelli S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, exhibitum mihi fuit Opuſculum, cujus Titulus, *Novum*, *Perutile*, *ac Perſpicuum Univerſæ Theologiæ Moralis Compendium*, a Reverendiſſimo Patre Gabriele Maria de Valenzuela Clerico Regulari Barnabita recto ordine diſpoſitum, quantitate molis exiguum, magnum vero qualitate doctrinæ, in quo nihil Fidei, ac moribus adverſum inveni, ſed ſanis totius Theologiæ Moralis rudimentis refertum; quare ad communem inſtructionem, & fructum dignum ſane, ut in lucem prodeat, exiſtimo.

Ex Conventu S. Mariæ ſupra Minervam Die 20. Auguſti 1730.

Fr. Coſmus Joſeph Chiocchetti Sacræ Theologiæ Magiſter Ordinis Prædicatorum.

REverendiſſimo P. F. Joanne Benedicto. Zuanelli S. Pal. Apoſt. Magiſtro mandante, *Novum*, *Perutile*, *ac Perſpicuum Univerſæ Theologiæ Moralis Compendium* a Reverendiſſimo P. D. Gabriele Maria de Valenzuela Clerico Regulari Barnabita, ac Epiſcoporum Examinatore, magno cum labore concinnatum, non minori ingenio diſpoſitum, & maxima, ſolidaque eruditione refertum cum animi jucunditate legi: cumque in eo, aut Chriſtianis moribus adverſum, aut ſacris dogmatibus difforme nihil offenderim, ſed cuncta encomiis digna, ut pote ex celeberrimis, tutioriſque moralis Theologis deprompta, ac ab Auctore ſolerti acumine ingenii de more breviter reſtricta invenerim; idcirco pro majori litterariæ Rei-

pu-

publicæ utilitate publica luce dignum adjudicavi. Dabat in Collegio S. M. de Victoria Romæ 12. Decembris 1730.

F. Leo a S. Felice Carmelita Excalceatus S. Theologiæ Prælector, ac Sacrarum Congregationum Indicis, & Sacrorum Rituum Conſultor.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato. *Univerſæ Theologiæ Moralis Compendium novum, perutile, ac perſpicuum Auctore, D. Gabriele Maria de Valenzuela Cordubenſe, Clerico Regulari S. Pauli Barnabitarum*: non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Battiſta Recurti Stampatore*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Decembre 1732.

(
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.
(Pietro Grimani Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

I N-

INDEX CAPITUM PRIMÆ PARTIS.

CAPUT I.

DE *Sacramentis in genere.* Pag. 1

CAPUT II.

De Sacramento Baptiſmi. pag. 7

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis. pag. 18

CAPUT IV.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. pag. 21

CAPUT V.

De Materia, & forma Conſecrationis. pag. 23

CAPUT VI.

De Sanctiſſima Communione. pag. 26

CAPUT VII.

De Sacrificio Miſſæ. pag. 36

CAPUT VIII.

De Sacramente Pœnitentiæ. pag. 46

CAPUT IX.

De Confeſſione Sacramentali. pag. 52

CAPUT X.

De Satisfactione. pag. 59

CAPUT XI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 62

CAPUT XII.

De Reſervatione. pag. 66

CAPUT XIII.

De Abſolutione Sacramentali. pag. 71

CA-

CAPUT XIV.
De Sigillo. pag. 75
CAPUT XV.
De Extrema Unctione. pag. 79
CAPUT XVI.
De Sacramento Ordinis. pag. 84
CAPUT XVII.
De Matrimonio. pag. 94
CAPUT XVIII.
De Impedimentis Matrimonii. pag. 100

INDEX
CAPITUM
SECUNDÆ PARTIS.

CAPUT I.
De Conſcientia. pag. 122
CAPUT II.
De Peccatis. pag. 126
CAPUT III.
De Actibus Impudicis. pag. 129
CAPUT IV.
De Delectatione Moroſa. pag. 134
CAPUT V.
De Mendacio. pag. 135
CAPUT VI.
De Juramento. pag. 136
CAPUT VII.
De Voto. pag. 145
CAPUT VIII.
De Furto. pag. 178
CAPUT IX.
De Reſtitutione. pag. 180

CAPUT X.

De Contractibus. pag. 182

CAPUT XI.

De reliquis Contractibus. pag. 185

CAPUT XII.

De Uſura. pag. 186

CAPUT XIII.

De Simonia. pag. 189

CAPUT XIV.

De Virtutibus Theologalibus. pag. 205

CAPUT XV.

De Hæreſi. pag. 212

CAPUT XVI.

De Abſolutione ab Hæreſi. pag. 214

CAPUT XVII.

De Jejunio. pag. 215

CAPUT XVIII.

De Obligatione recitandi horas Canonicas, ſeu Divinum Officium. pag. 219

INDEX
CAPITUM
TERTIÆ PARTIS

CAPUT I.

DE Sanctificatione diei Feſti. Pag. 225

CAPUT II.

De Eleemoſyna. pag. 228

CAPUT III.

De Duello. pag. 234

CAPUT IV.

De Ludo. pag. 237

CAPUT V.

De Bello. pag. 239

CAPUT VI.

De Odio. pag. 243

CAPUT VII.

De Cenſuris. pag. 246

CAPUT VIII.

De Excommunicatione. pag. 251

CAPUT IX.

De Suſpenſione. pag. 260

CAPUT X.

De Depoſitione, & Degradatione. pag. 269

CAPUT XI.

De Interdicto. pag. 272

CAPUT XII.

De Irregularitate. pag. 284

CAPUT XIII.

De Irregularitate ex delicto. pag. 289

CAPUT XIV.
De Irregularitate ex defectu. pag. 308
CAPUT XV.
De Immunitate Eccleſiaſtica. pag. 319
CAPUT XVI.
De Pollutione Eccleſiæ. pag. 339
CAPUT XVII.
De Clauſura Monialium. pag. 348
CAPUT XVIII.
De Sollicitatione, ſeu de Confeſſario Sollicitante. pag. 352

Inſtitutio Parochorum, & Confeſſariorum pro Caſibus diſpenſationis obtinendæ. pag. 355

NO-

NOVUM, PERUTILE, ET PERSPICUUM UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SAcramentum in genere eſt ſignum ſenſibile practicum gratiæ Sanctificantis hominem.

Sacramenta in lege Evangelica ſunt ſeptem, nempe, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Differunt inter ſe hæc Sacramenta, tum ex diverſitate materiæ, & formæ, ut videbitur, tum ex diverſitate producendi gratiam. Nam Baptiſmus confert gratiam, ut rege-

nerativam, ſeu per modum regenerationis Spiritualis.

Confirmatio confert gratiam per modum roboris confirmantis in fide, ſeu præſtantis Vires Spirituales ad fidem conſtanter ſuſtinendam.

Euchariſtia confert gratiam per modum refectionis Spiritualis.

Pœnitentia confert gratiam remiſſivam peccatorum poſt Baptiſmum.

Extrema Unctio confert gratiam deletivam reliquiarum peccatorum, & in extremæ vitæ agone præſtantem Vires Spirituales ad vincendas tentationes Dæmonis.

Ordo confert gratiam ad rite peragendum Miſſæ Sacrificium, ſeu actiones ſacras ad illud conducentes.

Matrimonium confert gratiam ad amorem, & fidem conjugalem, & rectam prolis educationem.

Inter hæc ſeptem Sacramenta, alia ſunt mortuorum, alia vivorum ex vi ſuæ propriæ inſtitutionis. Mortuorum ſunt duo tantum, Baptiſmus nempe, & Pœnitentia, reliqua vero ſunt vivorum, ideſt ſupponentia per ſe ſtatum gratiæ in ſuſcipiente.

Adverto tamen, quod Baptiſmus, & Pœnitentia, licet per ſe ſint Sacramenta mortuorum, ideſt ex vi ſuæ inſtitutionis facta a Chriſto ſupponentia in ſuſcipiente ſtatum peccati, tamen per accidens poſſunt eſſe Sacramenta vivorum, quando ſcilicet adinveniunt ſubjectum jam diſpoſitum, & juſtificatum per actum Contritionis, qui eſt juſtificativus extra Sacramentum. Sicut etiam reliqua Sacramenta, quæ per ſe ſunt vivorum, poſſunt eſſe per accidens mortuorum; quatenus poſſunt conferre primam gratiam, quando ſcilicet quis exiſtens in pec-

peccato lethali, & accedat ad aliquod ex iis Sacramentis, ſupponens bona fide ſe non eſſe in lethali, & eſſe in gratia, & ex alia parte accedat diſpoſitus & ſaltem attritus de omnibus peccatis ſuis, tunc illud Sacramentum cauſaret per accidens primam gratiam.

Inſuper alia ſunt imprimentia Characterem, alia non; imprimentia Characterem ſunt tria tantum, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ proinde non poſſunt iterari. Reliqua vero non imprimunt, & ideo poſſunt reiterari, & de facto iterantur.

Character Sacramentalis eſt Signum Spirituale impreſſum indelebiliter in anima, quo diſtinguitur Baptizatus a non Baptizato, Confirmatus a non Confirmato, & Ordinatus a non Ordinato.

Character remanet tum in Beatis, tum in damnatis, in illis ad eorum gloriam, in iſtis ad eorum ignominiam, & pœnam.

Characteres diſtinguuntur ſpecie inter ſe ob diverſitatem munerum quæ ſignificant; nam Character Baptiſmi ſignificat ſervum Chriſti, Character Confirmati militem Chriſti, Character ordinis Miniſtrum Chriſti.

Inſtitutor Sacramentorum eſt Chriſtus Dominus, qui habet poteſtatem Excellentiæ, & conſequenter fuit inſtitutor materiæ, & formæ eorundem Sacramentorum, itaut Eccleſia non poſſit eas immutare quo ad ſubſtantiam.

Quare autem Chriſtus Dominus inſtituit Sacramenta in rebus ſenſibilibus? Quia ſe voluit accommodare hominibus ſenſibilibus pro quibus inſtituit Sacramenta.

Tria eſſentialiter requiruntur ad conſtitutionem Sacramentorum, materia nempe, forma, & intentio Miniſtri.

Intentio eſt actus liber voluntatis quo quis ſe determinat ad aliquid faciendum.

Intentio in Miniſtro ad conficiendum Sacramentum debet eſſe ſaltem virtualis, & licet in Sacerdote celebrante ſufficiat intentio habitualis quo ad applicandum Sacrificium; non tamen ſufficit quo ad Conſecrandum, quia in Conſecratione conficitur Sacramentum, non autem in applicatione, & ideo major intentio requiritur ad Conſecrationem, quam ad applicationem.

Ubi adverto, triplicem eſſe intentionem, aliam actualem, aliam virtualem, aliam habitualem. Actualis eſt illa, quæ actu habetur in actuali actione Sacramenti. Virtualis eſt ipſamet intentio actualis non interrupta per actus diſparatos, ſed continuata per actus ordinatos ad eundem finem. Habitualis eſt ipſa actualis, quæ non fuit retractata, ſed interrupta per actus diſparatos.

Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio faciendi rem externam præciſe, ſed requiritur vel intentio faciendi Sacramentum, vel faciendi quod facit Eccleſia, vel quod intendit Chriſtus, nomine cujus Miniſter operatur, & hæc intentio debet ſaltem eſſe virtualis, ita ut non ſufficiat habitualis, ut valide conficiatur Sacramentum.

Dices: in Sacerdote Celebrante ſufficit intentio habitualis quo ad applicandum Sacrificium; ergo hæc ſufficiet etiam ad Conſecrandum; ſed contra, Conc. ant., nego conſeq.: ratio autem quare habitualis ſufficit quo ad valorem applicationis, non ſufficiat autem ad valorem Conſecrationis, eſt; quia per Conſecrationem conficitur Sacramentum, non autem per applicationem, & ideo major intentio requiritur ad valorem Conſecra-

tio-

tionis, quam ad valorem applicationis.

Ad licite conficiendum Sacramentum requiritur in Miniſtro ſtatus gratiæ, ſecus ſi exiſtens in peccato lethali conficiat Sacramentum, magnam irreverentiam ei infert, & committit ſacrilegium. Habens ergo conſcientiam lethalis antequam conficiat Sacramentum, debet ſe diſponere, vel per pœnitentiæ Sacramentum, vel ſi non adſit copia Confeſſarii, & urgeat neceſſitas Celebrandi ſi ſit Sacerdos, per actum Contritionis.

Quæres, an quis peccet petens Sacramentum a Miniſtro, quem ſcit eſſe in peccato lethali?

Reſpondeo: ſi Miniſter ſit obligatus ex juſtitia ad Sacramentum miniſtrandum, ut eſt Parochus, vel ſi neceſſitas urgeat ad Sacramentum recipiendum, poteſt ſine culpa ab eo exigi, & peti, tunc enim petens utitur jure ſuo, & ſi Miniſter eſt indiſpoſitus, ſibi imputet, vel ſibi conſulat Contritione. Si vero Miniſter non ſit obligatus ex juſtitia ad miniſtrandum, nec adſit neceſſitas urgens in petente, in hoc caſu petens peccat contra charitatem, quia ſine urgente neceſſitate inducit Miniſtrum ad peccandum, quod eſt contra charitatem. Hoc tamen intelligendum, niſi Miniſter ſponte ſua id onus ſubire velit, quia ſi libere, & voluntarie ſe offert ad Sacramentum miniſtrandum, nulla videtur culpa in petente.

Sacramenta cauſant gratiam ex opere operato, ac intuitu meritorum Chriſti; Unde ſi major gratia cauſatur in ſuſcipiente melius diſpoſito, tale augmentum gratiæ confertur ex opere operantis, nempe intuitu melioris diſpoſitionis, quæ eſt opus operantis, non autem ex opere operato.

Quæres: an plus gratiæ percipiatur, dum a meliori Miniſtro ſumitur Sacramentum?

Reſpondeo negative, quia gratia datur intuitu meritorum Chriſti, cujus nomine agit Miniſter, non vero ob Miniſtri ſanctitatem, quæ ſolum poteſt conferre ad excitandam meliorem diſpoſitionem in ſuſcipiente, qui proinde percipiet plus gratiæ ex opere operantis.

Sacramenta ultra gratiam ſanctificantem conferunt gratiam Sacramentalem, conſiſtentem in auxiliis ordinatis ad finem cujuſcunque Sacramenti, qui finis cum ſit diverſus in unoquoque Sacramento, trahit etiam ad ſe auxilia conducentia ad illum, ut v.gr.per Sacramentum Ordinis quis recipit auxilia ad Munus Sacrum recte obeundum, pro illo Matrimonii ad prolem pie educandam &c. Ultra gratiam Sacramentalem, & Sanctificantem, tria hæc Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo producunt characterem in anima recipientis, ut jam ſupra dictum eſt.

Nota, quod in Sacramentis conficiendis debet ſequi ſententia probabilior, & tutior, relicta minus probabili, & minus tuta, quo ad valorem Sacramentorum, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

Propoſitiones damnatæ ad hoc caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. prima propoſitio. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SAcramentum Baptiſmi eſt Sacramentum novæ legis inſtitutum a Chriſto Domino ad tollendum peccatum originale, & actualia ſi quæ ſunt; & conſiſtit in ablutione facta cum aqua naturali in principali Corporis parte, nempe in capite, cum præſcripta forma verborum.

Triplex eſt Baptiſmus, videlicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptiſmus fluminis eſt ipſum Sacramentum Baptiſmi.

Baptiſmus flaminis eſt deſiderium ardens, & efficax ſuſcipiendi Sacramentum, data prima opportunitate, contentum in actu perfectæ Contritionis. Unde ſi Turca habens conſcientiam lethalium, de quibus ſit perfecte contritus cum deſiderio Baptiſmi, antequam baptizetur, moriatur, ſalvatur per Baptiſmum flaminis.

Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium, ſeu quando quis proprio ſanguine baptizatur cum prævia diſpoſitione, ſi ſit Adultus.

Baptiſmus ſanguinis, & flaminis non ſunt Sacramentum, ſed ſupplementum ipſius quo ad reportandum effectum gratię ſanctificantis, non quo ad ſuſcipienda alia Sacramenta, cum requiratur ipſum Sacramentum Baptiſmi in re ſuſceptum, tanquam Janua aliorum Sacramentorum, & non ſufficiat in voto.

Sacramentum Baptiſmi eſt neceſſarium neceſſitate medii in re, vel ſaltem in voto ad æternam Salutem: dixi, vel ſaltem in voto, quia poteſt dari caſus, quod quis ſit perfecte contritus, & non habeat a quo baptizetur, ſi moreretur, antequam Sacramentum acciperet,

ſalvaretur per Baptiſmum in voto. Talis autem neceſſitas arguitur in Evangelio, ubi habetur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

Ubi noto, quod ad hoc ut votum Sacramenti Baptiſmi in hypotheſi proficiat ad ſalutem, neceſſe eſt, quod ſit actus perfectæ Contritionis, ita ut non ſufficiat ſola attritio, quia ſi Turca ſit ſolum attritus, quantumcumque habeat votum, ſeu deſiderium Baptiſmi, nunquam ſalvabitur.

Cum materia Sacramentorum alia ſit remota, alia proxima; materia remota Sacramenti Baptiſmi eſt aqua naturalis quæcunque, nedum putealis, ſed etiam pluvialis, & maritima. Non autem aqua artificialis, quæ ſcilicet contrahitur ex herbis, & floribus.

Materia proxima eſt ipſa ablutio facta cum aqua naturali in principali parte Corporis &c.

Quantitas aquæ requiſitæ ad hoc Sacramentum debet eſſe tanta, quanta ſufficiat ad verificandam ablutionem.

Ad valorem Baptiſmi ſufficit, quod abluatur aliqua pars Corporis; ita ut ſi adſit rationabile dubium de valore Baptiſmi, iterandus eſt ſub conditione.

Forma Baptiſmi ſunt hæc verba: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*; itaut ly Ego, & ly Amen, ſi omitterentur, adhuc Baptiſmus eſſet validus, peccaret quis tamen, ſi ſcienter illa omitteret, ut cenſet Toletus, quia faceret contra praxim Eccleſiæ.

Occurrenti caſu, in quo ob dubium prudens eſſet Baptiſmus iterandus, debet adhiberi forma ſub conditione, aut mente retenta, aut expreſſa his verbis: *ſi baptizatus es, non te bapti-*

zo;

zo ; ſi nondum es baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris &c.

Ad valorem Baptiſmi non eſt neceſſe, quod forma proferatur latino idiomate, ita ut Baptiſmus ſit validus in quocunque idiomate prolata ſit forma; & ratio eſt, quia Sacramentum Baptiſmi valide miniſtrari poteſt a quocunque ſive maſculo, ſive fæmina. Parochus autem tenetur ſervare formam præſcriptam ab Eccleſia, in eo ſcilicet idiomate, quo utitur Eccleſia.

Unde loquendo de fæmina, ſi proferendo formam grammaticaliter erraret, adhuc valide baptizaret, quia eſſet error accidentalis, qui non invalidat, cum non immutet eſſentiam formæ.

Si quis baptizaret ſub hac forma, in Nomine Patris, in Nomine Filii, & in Nomine Spiritus Sancti, invalide baptizaret, quia non ſervatur Unitas Eſſentiæ Divinæ.

Item ſi quis baptizaret in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, invalide baptizaret, quia in forma Baptiſmi debent exprimi Perſonæ Divinæ, ut conſtat, & habetur ex forma a Chriſto tradita iis verbis: *baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Si quis omitteret ly & inter Filium, & Spiritum Sanctum, dicendo, in Nomine Patris, & Filii Spiritus Sancti, ſi adhuc intenderet, Spiritum Sanctum eſſe Perſonam diſtinctam a Filio, valide baptizaret; ſi autem intenderet Spiritum Sanctum eſſe unam, & eandem Perſonam cum Filio, non valide baptizaret.

Si quis facta expreſſione Divinarum Perſonarum, adderet *in Nomine B. M. V.* ex pura devotione, non intendens, B. V. concurrere ad Baptiſmum ſimul cum Perſonis Divinis, valide baptizaret, ſecus non &c.

Ablutio,& prolatio verborum debent,quantum fieri poteſt, eſſe ſimul, quod tamen non eſt intelligendum adeo rigoroſe, ut eodem momento utraque incipiatur, & finiatur, ſed ſufficit, quod ſecundum aliquas ſui partes ſint ſimul, ſcilicet quod non finiatur ablutio, quin incœperit forma, & e contra, non prius finiatur forma, quin incœperit ablutio, & hæc eſt praxis ſervanda a Parochis.

Baptiſmus Infantium ob periculum, quod facillime occurrere poteſt reſpectu tenerrimæ illius ætatis, non debet nimium differri; Unde illi, quibus tale onus incumbit, curare omnino debent, ut ante nonum diem infans natus in Eccleſiam ad Baptiſmum ſuſcipiendum deferatur; quod ſi neglexerint, peccant mortaliter, iiſque in Concilio Provinciali Mediolanenſi primum impoſita eſt excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, niſi pro dilatione ſpecialem obtinuerint facultatem ab Ordinario.

Quando Infans eſt natus ex Parentibus, quorum unus eſt fidelis, & alter infidelis, ſi exponatur ad baptiſmum a Parente fideli, debet baptizari etiam invito altero infideli, quia cum hoc ſit in favorem Pueri, in tali Parentum diſſidio eligendum eſt quod eſt ipſi Puero magis favorabile, & utile, ut eſt ſuſceptio Baptiſmi.

Item baptizari debent filii illorum infidelium, qui aliquando Baptiſmum ſuſceperunt, & poſtea in infidelitatem lapſi ſunt, quia lapſi in infidelitatem propter Characterem Baptiſmi indelebilem adhuc ſunt ſubditi Eccleſiæ, quæ proinde poteſt de eorum infantibus tanquam de ſubditorum filiis diſponere.

In Adulto baptizando ſufficit ſola intentio Baptiſmi ad valorem ejuſdem. Ad eum autem ſu-

ſuſcipiendnm cum fructu, nempe cum effectu gratiæ emundantis a peccato originali, & actualibus, ſi quæ ſunt, requiritur pro diſpoſitione fides in Chriſtum, & præcipua myſteria neceſſaria neceſſitate medii, nempe fides unius Dei exiſtentis, & remuneratoris bonorum, & vindicis malorum, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis; atque de his ante Baptiſmum inſtrui debet. Item requiritur ſaltem atritio ſupernaturalis de peccatis lethalibus antecedenter commiſſis.

Hinc ſi Adultus accederet ad Baptiſmum ſine debito dolore peccatorum lethalium antecedenter commiſſorum, vel cum affectu aliquo lethaliter peccaminoſo, ſuſciperet quidem valide Baptiſmum, attamen peccaret ſacrilege propter gravem irreverentiam, & injuriam, quam faceret Sacramento, impediendo effectum præcipuum abluendi animam, quem non conſequeretur niſi remoto obice per conceptum dolorem ſupernaturaliter elicitum. Neque in caſu teneretur ſubdere clavibus peccata Baptiſmum antecedeutia, ſed ea ſolum, quæ in Baptiſmi ſuſceptione, & poſtmodum commiſiſſet.

Si quis perpetuo fuerit amens, computandus eſt in numero Infantium, adeoque eſt baptizandus. Si vero aliquando habuit rationis uſum, & eo tempore Baptiſmum non petiit, non eſt baptizandus, quia Baptiſmus eſſet invalidus ob defectum intentionis neceſſario requiſitæ in Adulto ad valorem Baptiſmi.

Surdus autem, & mutus ſi videns alios baptizari petat ſuo modo Baptiſmum, inſtruendus eſt in fide myſteriorum, quantum fieri poteſt, & deinde baptizandus.

Infans monſtruoſus ſi ſit certum, eum habere animam rationalem, eo quod habeat ſaltem

caput humanum cum ſtomacho ; baptizandus eſt abſolute. In dubio autem eſt baptizandus ſub conditione, ſcilicet, ſi es capax, Ego te baptizo, &c. vel expectandum, ſi non ſit periculum in mora, uſque dum clare appareat, an ſit homo.

Si monſtrum ſit natum cum geminato capite, & geminato ſtomacho, tunc oportet illa capita diſtincta baptizare, ac ſi eſſent tot diſtincti homines, quia ex tot capitibus, & ſtomachis clare apparet, ibi totidem eſſe animas rationales; ſi autem habeat ſolum geminata capita, non autem alia membra, cum rationabiliter dubitari poſſit, an ſit unus homo, vel plures, tunc duplex Baptiſmus eſt conferendus, unus ſcilicet abſolute ſuper caput quod perfectius apparet, alius vero ſub conditione, ſcilicet, ſi non es Baptizatus, Ego te baptizo, &c.

Sine juſta cauſa nullus eſt rebaptizandus: juſta autem cauſa tunc adeſſe cenſetur, quando adeſt grave, vel morale, & rationabile dubium, quod quis prima vice valide baptizatus non ſit, nec ſufficit leve, vel Metaphyſicum dubium. Unde & ſi quis non inveniatur deſcriptus in libro baptizatorum, dummodo ſit natus, & educatus inter Catholicos apud parentes, qui non ſint peſſimæ famæ, habet certitudinem moralem tantum, quæ impedit reiterationem Baptiſmi. Immo cenſet Layman, nec eſſe rebaptizandum illum, de quo habetur Teſtimonium oculare unius Teſtis, licet fœminæ, dummodo hæc ſuſpecta non ſit, & aliud non obſtet.

Sub conditione tamen ſunt rebaptizandi qui cum materia, aut forma, aut intentione dubia baptizati ſunt. Item Infantes expoſiti, qui reperti ſunt ſine ſchedula teſtante de Baptiſmo. Et etiam Pueri baptizati ab Obſtetricibus, & Veneficis, quæ aliquando repertæ vel confeſ-

ſæ

ſæ ſunt, ſe ex ignorantia vel malitia non rite baptizaſſe.

Attamen non licet rebaptizare illos Infantes omnes, qui ob neceſſitatem fuerunt domi baptizati a fœminis cognatis, vel obſtetricibus, quando iſtæ ſunt bonæ famæ, & cenſentur ſufficienter inſtructæ, quia tunc de valore Baptiſmi prudenter, & rationabiliter dubitari non poteſt: Layman tamen non audet damnare conſuetudinem quorumdam Parochorum, qui cum experientia didicerint, non raro fœminas deceptas fuiſſe a Diabolo in collatione Baptiſmi, rebaptizant Infantes ſub conditione ob grave periculum animæ, ratione cujus ceſſat titulus irreverentiæ Sacramento. Et Diana cum pluribus aliis cenſet, ob hoc periculum rebaptizandos eſſe ſub conditione Baptizatos ab Hæreticis, licet ſint Adulti.

Si baptizaretur Puer pro Puella, Baptiſmus eſſet validus, quia cadit ſupra ſubjectum capax, & error eſſet accidentalis, qui non invalidat ſubſtantiam actus. Si vero reſtringeretur intentio ad baptizandum maſculum, & non fœminam, invalidum eſſet Sacramentum, quia deeſſet intentio, qua ſecluſa non confertur Sacramentum.

Miniſter baptiſmi duplex eſt: alius ſolemnitatis, qui eſt Parochus, vel alius Sacerdos de commiſſione Parochi. Alius neceſſitatis, qui eſt quicumque ſive maſculus, ſive fœmina, habens tamen uſum rationis, & dummodo habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia.

In adminiſtratione Baptiſmi in caſu neceſſitatis eſt præferenda Perſona dignior inter præſentes.

Sine licentia alterius Parochi, non debet Parochus proprius baptizare ſuum ſubditum extra ſuam Parochiam, ſecluſo tamen caſu neceſſitatis, quia turbaret Juriſdictionem alte-

rius.

rius Parochi, quod tamen non ſequeretur, audiendo Confeſſionem ſui Parochiani extra propriam Parochiam, quia in hoc caſu exerceret Juriſdictionem tantum in foro interno, quod non turbat Juriſdictionem externam. Excipe tamen Confeſſarios Regulares propter Conſtitut. Clem. X.

Pater vel Mater in caſu neceſſitatis poſſunt baptizare proprium filium, quin pecent, & quin contrahant ad invicem cognationem ſpiritualem impedientem uſum matrimonii, ſi vero extra caſum neceſſitatis baptizarent, tunc peccarent, & contraherent cognationem ſpiritualem ad invicem, ratione cujus non poſſent ad invicem petere debitum.

Miniſter in Baptiſmo ſolemnitatis debet adhibere aquam benedictam benedictione ſpeciali juxta Ritum Eccleſiæ, ſecus peccaret graviter.

Nomine aquæ benedictę adhibendæ in Baptiſmo ſolemni, non venit aqua benedicta benedictione communi, ea nempe, quæ adhibetur ad aſpergendum, ſed venit aqua benedicta benedictione ſpeciali, & ſolemni facta in Sabbato Sancto, & in vigilia Pentecoſtes, & hujuſmodi aqua appellatur Fons Baptiſmalis.

Infans privatim Domi baptizatus debet poſtea ad Eccleſiam deferri, ut adhibeantur cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ, quibus adhibitis, ſi poſt aliquod tempus occurrat prudens dubium circa valorem Baptiſmi domi collati, eſſet ſub conditione iterandus Baptiſmus, non vero iterandæ cæremoniæ.

In Baptiſmo ſolemni ex inſtitutione Eccleſiæ eſt adhibendus Patrinus, aut Matrina, aut ambo ſimul, qui teneant Infantem ad Sacrum Fontem.

Sinon a Parentibus eſſet deſignatus ad tenen-

dum

dum Infantem ad Sacrum Fontem, Parochus ipſe debet aliquem deſignare, qui præſtet id munus, quia eſt onus Parochi curare, & providere, ut Baptiſmus ſolemnizetur cum omnibus cæremoniis ab Eccleſia ſtatutis, inter quas una eſt, ut interveniat ſuſceptor, ſeu Patrinus.

Si vero neque a Parentibus, neque a Parocho quiſpiam foret deſignatus, & aliquis ex præſentibus tangeret Infantem, dum baptizatur, an iſte contraheret cognationem Spiritualem, duplex eſt ſententia, quarum una docet, non contrahere, quia dum Tridentinum mandat determinari eum, vel eos, qui tenent, dum nullus deſtinetur, nullus contrahit, quia non eſt poſita conditio ſtatuta a Concilio. Altera docet, contrahere, quia dum Concilium nihil circa hoc determinat, ſtandum eſt juri antiquorum Canonum, qui ſtatuunt contrahere eum vel eos, qui tangunt, ut apparet ex capite ultimo de cognatione ſpirituali in ſexto Decretalium. Utraque hæc ſententia ſuam habet probabilitatem, ſed ſecunda mihi probabilior videtur.

Qui tenet Infantem ad Sacrum Fontem per Procuratorem nomine ſuo miſſum, ut conſuetudo eſt apud Principes, an ipſe contrahat cognationem ſpiritualem.

Reſp. affirmative, quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur, tum quia Procurator miſſus, nomine mittentis agit, non ſuo, ergo non ipſe, ſed mittens, nomine cujus eo munere ille fungitur, contrahit cognationem ſpiritualem.

Qui in Baptiſmo privato tenet Infantem, dum in caſu neceſſitatis domi baptizatur, non contrahit cognationem ſpiritualem, quia cum munus & officium Patrini ſit cæremonia ab Eccleſia inſtituta ad Baptiſmum ſolemnem,

ſo-

ſolemnitate deficiente, deficit quoque vera ratio Patrini.

Secus dicendum in ea neceſſitate de Baptizante, hoc enim intereſt diſcrimen inter baptizantem, & tenentem, quod baptizans tam ſolemniter quam privatim ſemper contrahit cognationem ſpiritualem, quia utroque modo vere confert Sacramentum Baptiſmi, & regenerat ſpiritualiter. Tenens autem ſolum contrahit in Baptiſmo ſolemni, non in privato ob rationem jam dictam.

Quando autem in Eccleſia ſupplentur cæremoniæ ſuper Puerum domi vere baptizatum, tenens in tali ſolemnitate non contrahit cognationem ſpiritualem, ut declaratum eſt a Sacra Congregatione Concilii, quia illæ cæremoniæ non ſunt Baptiſmus, nec regeneratio ſpiritualis.

Parochus non debet admittere ad officium Patrini Religioſos, nec Hæreticos, quia iſtis ab Eccleſia vetitum eſt tale munus, quod ſi ab iis præſentaretur, validus eſſet actus, & contraherent cognationem ſpiritualem.

Deputatus a Parocho ad tenendum ad Sacrum Fontem Filium alicujus Infidelis, aut Hebræi, aut Idololatræ, non contraheret cognationem ſpiritualem cum Patre Infideli; quia cognatio ſpiritualis eſt relativa ad duas Perſonas: cum ergo Infidelis ſit incapax cognationis ſpiritualis ex parte ſui, eo quod non ſit ſubditus Eccleſiæ, neque Fidelis, qui eſt capax, contraheret, quia relativa ſunt ſimul natura.

Cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur in Baptiſmo, fundatur in regeneratione ſpirituali, & eſt vinculum Canonicum, ratione cujus non poteſt contrahi matrimonium, & definitur: proximitas Perſonarum contracta per Baptiſmum, vel per Confirmationem.

Hæc

Hæc cognatio ſpiritualis contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem, inter ſuſceptores, & baptizatum, ejuſque Patrem, & Matrem, non autem inter ſuſceptores ad invicem, neque inter Parochum, & ſuſceptores ad invicem.

Hinc Pater, vel Mater non debent tenere proprium Filium ad Baptiſmum ob cognationem ſpiritualem, quæ inde contrahitur, impediens uſum Matrimonii.

Cognatio ſpiritualis non admittit gradus.

Si eſſent duo, quorum unus ablueret, & alter proferret formam, non eſſet validus Baptiſmus, quia non verificaretur forma, ad quam verificandam reqniritur, ut ille idem qui profert formam, abluat.

Adultus baptizandus, antequam accedat ad Baptiſmum, debet eſſe inſtructus in Myſteriis fidei, & ſi habeat lethalia, debet habere eandem diſpoſitionem, quæ requiritur ad Sacramentum Pænitentiæ, ideſt attritionem ſaltem, ut etiam dictum eſt ſupra.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VIII. 29. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In Nomine Patris, &c. prætermiſſis illis: Ego te baptizo.

30. Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere, quod facit Eccleſia.

C A P U T III.
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Confirmatio eſt Sacramentum novæ legis inſtitutum a Chriſto, quo viator baptizatus inungitur Chriſmate in fronte ad modum Crucis ab Epiſcopo ſub præſcripta forma verborum, ut confirmetur, & roboretur in Fide.

Hoc Sacramentum non eſt neceſſarium ad ſalutem neque neceſſitate medii, neque præcepti, cum de hoc nullum extet præceptum; Unde omittens ſuſcipere hoc Sacramentum non peccat, niſi hoc ſequatur ex contemptu, vel etiam ſcandalo, vel urgente perſecutione fidei, in quibus caſibus teneretur ſuſcipere hoc Sacramentum.

Materia remota hujus Sacramenti eſt Chriſma confectum ex oleo olivarum, & balſamo ab Epiſcopo conſecratum.

Materia proxima eſt unctio facta in fronte per modum Crucis, ſignificans confirmatum adſcribi militem Chriſti, & ſicut in Baptiſmo efficitur ſervus Chriſti, in Ordine Miniſter Chriſti, ita in Confirmatione efficitur Miles Chriſti ad conſtanter pugnandum contra hoſtes fidei.

Forma vero hujus Sacramenti ſunt verba ab Epiſcopo prolata dum dicit (aliqui dicunt, ly *ego* eſſe de eſſentia formali, aliqui non eſſe,) *ſigno te ſigno Crucis*, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. *Amen*: ly *Amen* non eſt de eſſentia formæ; peccaret qui e contra faceret contra Ritum Eccleſiæ.

Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt ſolus Epiſcopus, qui in propria Diœceſi poteſt

teſt licite confirmare etiam alienum ſubditum, quia quo ad hoc Sacramentum præſumitur voluntas proprii, ipſius Epiſcopi ad differentiam Sacramenti Ordinis, & Matrimonii, circa quæ præſumi nequit voluntas illius.

Etenim uſu receptum eſt, ut Epiſcopus in propria Diæceſi confirmet quoſcunque venientes, ſeu accedentes nulla inquiſitione facta, an ſint propriæ, vel alienæ Diæceſis: extra vero propriam Diœceſim poteſt quidem valide, non tamen licite confirmare, non ſolum non ſuos, ex Tridentino, ut declaravit Sacra Congregatio, ſed neque ſuos ſubditos, quia Epiſcopus non poteſt exercere Pontificalia in alterius Diæceſi abſque licentia Ordinarii illius loci ex eodem Tridentino.

Dixi, Ordinarius Miniſter &c. quia Miniſter extraordinarius poteſt eſſe quilibet Sacerdos ex delegatione Summi Pontificis, non autem Diaconus. Unde Epiſcopus non poteſt delegare ſimplicem Sacerdotem, ſicuti Pontifex poteſt, quia Epiſcopus poteſt tantum delegare circa ea, quæ ſunt juriſdictionis, non autem circa ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ut eſt Confirmatio, quæ eſt actus ordinis Epiſcopalis.

Epiſcopus dat alapam Confirmato, ut diſcat patienter ſuſtinere perſecutiones pro fide, nec non & pœnas pati pro nomine Jeſu.

Subjectum hujus Sacramenti eſt quilibet viator baptizatus.

Circa vero ætatem, in qua conferri debet hoc Sacrameutum, ſervandus eſt uſus Eccleſiæ. Nam licet in primitiva Eccleſia conferretur ſtatim poſt baptiſmum, nunc conſuetudo Eccleſiæ eſt, ut conferatur habentibus uſum rationis, quia in tali ætate ſunt capaces tentationum, & cognoſcendi virtutem hujus Sacramenti.

Ad

Ad ſuſcipiendum digne hoc Sacramentum requiritur quod quis ſit in ſtatu gratiæ.

Duo ſunt effectus hujus Sacramenti. Primus eſt gratia cum jure auxiliorum ſupernaturalium ad robur pro fide conſtanter tuenda; Secundus eſt Character indelebiliter impreſſus in anima, quo Chriſtianus inſignitur; quapropter non poteſt iterari; itaut ſi ſcienter bis ſuſciperet quis Confirmationem, peccaret peccato ſacrilegii: non incurreret tamen irregularitatem quia Jura Canonica loquuntur tantum de reiteratione Baptiſmi, non vero Confirmationis quo ad incurrendam pœnam irregularitatis.

Ad Sacramentum Confirmationis requiritur ex inſtitutione Eccleſiæ Patrinus, & Matrina, vel ſaltem Patrinus quo ad maſculos, & Matrina quo ad fœminas; & qui tenent ad confirmationem tanquam Patrinus vel Matrina contrahit cognationem ſpiritualem, ut dictum eſt de Baptiſmo.

Si nondum confirmatus teneret ad confirmationem, invalide teneret, & non contraheret cognationem ſpiritualem, quia ex actu invalido nihil ſequitur.

Fœminas per Sacramentum Confirmationis & ipſa adſcribitur militiæ Chriſti: nec obſtat quod fœmina excludatur a militia Mundi; ab hac enim excluditur ex defectu virium propter imbecillitatem ſexus ad pugnam temporalem, & ob alias rationes honeſtas; at vero non excluditur a militia Chriſti, quia, ut ait Apoſtolus, in Chriſto Jeſu non eſt maſculus, neque fœmina, tum quia tam maſculis, quam fœminis confertur ex auxiliis gratiæ robur ad pugnam ſpiritualem, & ad vincendos fidei Hoſtes, ut patet exemplis plurium Sanctarum Virginum, quæ non minus quam maſculi, triumphum reportarunt de Tyrannis.

C A.

CAPUT IV.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

SAcramentum Euchariſtiæ eſt illud admirabile Sacramentum, quod Chriſtus Dominus inſtituit in ultima Cœna, quando Paſchate cum Diſcipulis celebrato conſecravit Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini.

In hoc Sacramento continetur vere, & realiter Corpus, & Sanguis Chriſti una cum ejus Anima, & Divinitate, ac proinde totus Chriſtus.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt verum, & proprium Sacramentum: quinimmo per antonomaſiam vocatur Sanctiſſimum Sacramentum; habetque omnia conſtitutiva veri Sacramenti, eſt enim ſignum ſenſibile propter ſpecies panis, & vini, eſt a Chriſto inſtitutum, ut teſtantur Fvangeliſtæ, & Apoſtolus. Eſt conferens gratiam, juxta illud Joannis 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Differt autem a cæteris, primo in hoc, quod cætera continent tantum gratiam, ſeu vim ſanctificandi; hoc autem continet ipſumet Sanctificatorem, & Authorem gratiæ; ſecundo quia nullum aliud Sacramentum confert gratiam per modum refectionis Spiritualis, quam hoc Sacramentum, quod eſt inſtitutum per modum cibi nutrientis vitam animæ Spiritualem.

Hoc Sacramentum conficitur per actionem converſivam ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti ex vi verborum Conſecrationis, itaut poſt verba Conſecrationis a Sacerdote prolata nihil ſubſtantiæ panis, & vi-

ni

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ni remaneat, ſed ſola accidentia, quæ vocantur ſpecies Sacramentales. Et actio hujuſmodi converſiva appellatur tranſubſtantiatio.

Sub ſpeciebus panis formaliter, & ex vi verborum ponitur ſolum Chriſti Corpus, & ſub ſpeciebus vini ſolum Chriſti Sanguis; concomitanter autem ſub ſpeciebus panis eſt etiam Sanguis, & ſub ſpeciebus vini eſt etiam Corpus, & ſub utriſque etiam Anima, & Divinitas, & conſequenter totus Chriſtus.

Hinc qui ſumit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, non recipit plus gratiæ per ſe, & ex opere operato, quam qui ſumit tantum ſub unica ſpecie, ut definitum eſt a Concilio Tridentino. Si enim Sacerdos Communicans ſub utraque ſpecie percipiat plus gratiæ: hoc eſt per accidens, ratione majoris diſpoſitionis, & ex opere operantis, non autem per ſe, & ex opere operato, ſecus fraudarentur Laici Communicantes ſub una tantum ſpecie.

Nec valet paritas de refectione corporali conſiſtente in cibo, & potu corporali, quia iſti non præſtant eundem effectum, ſicuti præſtat refectio Euchariſtica.

Chriſtus in hoc Sacramento exiſtit modo indiviſibili, & ineffabili, ita quod ſit totus in toto, & totus in qualibet parte ſpecierum tam ante, quam poſt illarum diviſionem, & tamdiu manet ſub illis, donec corrumpantur.

In hoc Sacramento ſunt etiam aliæ Divinæ Perſonæ per circuminſeſſionem, ut loquuntur Theologi Scholaſtici, quatenus Divinæ Perſonæ propter identitatem, quam habent cum Divinitate, ſunt ubicumque eſt Divinitas.

CA-

C A P U T V.

DE MATERIA, ET FORMA CONSECRATIONIS.

CErtum de Fide eſt, materiam requiſitam ad conficiendam Euchariſtiam eſſe ſolummodo panem, & vinum, ut definitum eſt in Conciliis contra turpiſſimos errores diverſorum Hæreticorum. Conſtat enim ex Evangeliis, Chriſtum Dominum in ſolis pane, & vino conſecraſſe Corpus, & Sanguinem ſuum; nullibi enim, quam de ſolo pane invenitur dixiſſe. *Hoc eſt Corpus meum*, & quam de ſolo vino, *Hic eſt Sanguis meus*. Quod inquiritur ergo eſt, quis, & qualis panis, quod, & quale vinum requiritur ad conficiendam Euchariſtiam.

Panis ad Euchariſtiam conficiendam requiſitus, & quidem de neceſſitate Sacramenti, non tantum præcepti, debet eſſe triticeus, ideſt ex farina triticea, & ex aqua naturali, ac elementari compactus, & calore ignis aſſatus, ſeu per modum aſſationis coctus.

Hinc excluditur a materia apta conſecrationis Corporis panis confectus ex aliis granis diverſis a tritico, ut hordeum, far &c. adeo ut ſi quis conſecraret in pane hordeaceo, invalide conſecraret, quia non eſt materia apta.

De neceſſitate Sacramenti, & quo ad validum æque poteſt eſſe azimus, & fermentatus, ut definitum eſt in Concilio Tridentino, de neceſſitate vero præcepti Eccleſiaſtici, & quo ad licitum debet eſſe azimus in Eccleſia Latina, & fermentatus in Græca, ut etiam habetur in eodem Concilio, dicente unumquemque Sacerdotem, tam Græcum, quam Latinum juxta Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, & ritum ipſum Domini Corpus conficere debere, ubi ly *debere* vim præcepti indicat.

Quid autem ſi Sacerdos Græcus inter Latinos verſetur, debeat facere.

Ad hoc dico. Vel Græcus in loco Latinorum, ubi verſatur, habet propriam Eccleſiam, vel non habet: ſi habet propria Eccleſiam, tenetur celebrare in propria Eccleſia proprio ritu, ſi non habet: tunc ſic, vel inter latinos verſatur tanquam Hoſpes, & Peregrinus, vel Domicilium contraxit, & eſt Incola. Si tamquam Hoſpes, & Peregrinus, cenſeo probabilius, teneri adhuc ſequi ritum propriæ Eccleſiæ, & conſecrare in fermentato, quia non deſinit per hoc eſſe membrum ſuę nativæ Eccleſiæ. Si vero ſit Incola in Terra Latinorum,cum eo tunc non ſit amplius membrum ſuæ nativæ Eccleſiæ, tenetur celebrare, & conſecrare ritu Eccleſiæ Latinæ, cujus evadit membrum. Idem cum proportione dicendum de Sacerdote Latino verſante inter Græcos.

Vinum ad conficiendam Euchariſtiam requiſitum de neceſſitate Sacramenti debet eſſe viticeum, ideſt de uvis vitis expreſſum. Ita definitum eſt in Conciliis adverſus Hæreticos: Et quia Chriſtus in vino vitis conſecravit, ut patet ex ipſius verbis. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Tum quia vinum vitis eſt illud, quod communiter adhibetur in menſis.

Hinc acetum, & agreſte non ſunt materia apta conſecrationis: non primum, quia eſt vinum corruptum,neque ſecundum,quia nondum habet ſubſtantiam vini. Vinum aceſcens, ſeu quod incipit aceſcere,eſt quidem materia ſufficiens Calicis, quia nondum amiſit ſubſtantiam vini, & ſolum eſt in via ad amittendum; peccat tamen Sacerdos in eo conſecrans. In caſu neceſſitatis poteſt licite conſecrari in muſto recenter expreſſo ex uvis maturis, eſt enim verum vinum, ita Divus Thomas. Vinum conJ gela-

gelatum juxta Suarez, eſt ſufficiens materia, & conſecratio in ea facta teneret, cum ſit adhuc ſubſtantialiter vinum, nec amiſit ſubſtantiam vini.

Vino Conſecrando debet de neceſſitate, non quidem Sacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici, infundi modicum aquæ, ita ut ſufficiant duę, vel tres guttæ. Unde Sacerdos id ſcienter omittens, conſecrat quidem valide, ſed peccaret graviter, quia faceret contra præceptum Eccleſiæ, præcipientis talem mixtionem ad ſignificandum Myſterium, nempe aquam, quæ ſimul cum Sanguine exivit e latere Chriſti.

Hæc autem aqua in modica quantitate miſcenda, eſſe debet naturalis, nempe elementaris ad excluſionem aquæ cujuslibet non naturalis, ſeu artificialis, quæ ſi adhibetur loco aquæ naturalis valida eſſet conſecratio, Sacerdos tamen ſcienter eam adhibens peccaret graviter, quia faceret contra uſum communem Eccleſiæ.

Si admiſcerentur in magno dolio vini aliquæ guttæ Sanguinis Conſecrati, illud vinum eſſet totum conſervandum, & ad uſus pios adhibendum. Nec inde ſequeretur, totum illud vinum evadere Conſecratum, quia vinum non conſecratur per purum contactum, ſed per formam conſecrationis, ad differentiam aquæ benedictæ, quæ remanet tota benedicta per contactum, ſi admiſceatur benedicta non benedictæ.

Forma Conſecrationis Corporis conſiſtit in his verbis. *Hoc eſt enim Corpus meum.* Illa Sanguinis. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei*; ita quod ſi omitteretur ly *enim*, adhuc valide conſecraretur, quia eſt particula non eſſentialis, ſed accidentalis, adjuncta, & appoſita a Divo Petro. Attamen ſi quis eam ſcien-

ter omitteret, peccaret graviter.

Reliqua verba formæ Calicis non ſunt de eſſentia, ſed tantum de integritate ſubſtantiali ejuſdem formæ, ſicut brachium, ver. gr. non eſt de eſſentia Hominis, ſed tantum de integritate ſubſtantiali ejuſdem.

Quare autem Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie. Ratio eſt tum ad ſignificandum Sagrificium Crucis cruentum, in quo totus ejus Sanguis fuit effuſus, & a Corpore ſeparatus; Tum quia hoc Sacramentum fuit inſtitutum per modum refectionis ſpiritualis; cujus ſignificatio perfecta habetur per utramque ſpeciem, non ſic autem ſi in unica tantum ſpecie eſſet inſtitutum.

Effectus hujus Sacramenti eſt augmentum gratiæ per modum refectionis ſpiritualis, præſervatio a peccatis lethalibus, & etiam a venialibus.

Per totum tempus quo durant ſpecies Sacramentales in ſtomacho augetur gratia in anima, accedente majori devotione, & fervore.

C A P U T VI.

DE SANCTISSIMA COMMUNIONE.

Sumptio Euchariſtiæ eſt omnibus Adultis neceſſaria neceſſitate præcepti Divini ad ſalutem, ut habetur ex illis Chriſti verbis. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Hoc præceptum Divinum obligat in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita, ut colligitur ex natura, & inſtitutione hujus Sacramenti. Eſt enim inſtitutum per modum cibi ſpiritualiter nutrientis, & roborantis, qui certe neceſſarius eſt non ſolum in articu-

lo-

lo mortis, ſed etiam in decurſu vitæ aliquoties, pro quo tamen non fuit a Chriſto determinatum tempus, ſed fuit relictum ab Eccleſia determinandum.

Ultra præceptum Divinum extat etiam præceptum Eccleſiaſticum in Concilio Lateranenſi ſtatutum, quo obligantur omnes utriuſque ſexus Fideles, cum ad annos diſcretionis pervenerint, ut communicent ſingulis annis ſaltem in Paſchate.

Ubi notandum, hoc præceptum Eccleſiæ non ſervari circa ſubſtantiam communionis jam præceptam jure Divino, ſed circa determinationem temporis; determinando nimirum quod communio fiat ſaltem ſemel in anno, deſignato tempore Paſchatis, ob memoriam inſtitutionis tanti Sacramenti, peractæ eo tempore a Chriſto Domino.

Unde ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ non ſufficit, quod quis communicaverit ante, vel poſt tempus Paſchale ſine cauſa, ſed tenetur quis in Paſchate communicare, etiam ſi paulo ante id tempus communicaverit.

Dixi, ſine cauſa, quia cum cauſa certum eſt, poſſe anticipari, aut prorogari Communionem Paſchalem, in quo caſu communio ſive anticipata, ſive prorogata cum cauſa adhuc eſſet Paſchalis, non quidem Phyſice, ſed Moraliter.

Si quis autem omitteret ex malitia communionem in Paſchate, adhuc teneretur quamprimum poſt id tempus communicare, quia obligatio annuæ Communionis non eſt taliter alligata tempori Paſchali, ut eo tranſacto expiret, ſicut tranſacto die jejunii expirat obligatio ejuſdem; Non inquam, ſed adhuc perſeverat, quia præceptum annuæ Communionis eſt virtualiter duplex, continens duplicem obliga-

tionem, unam communicandi in Paſchate, alteram communicandi ſaltem ſemel in anno, ne videlicet nimium differatur ſuſceptio tanti Sacramenti, ob fructus uberrimos, qui ex eo percipiuntur, & ideo omiſſa culpabiliter Communione tempore Paſchali, adhuc quis tenetur quamprimum communicare.

Et dato quod neque poſt id tempus communicet; ita ut tranſcurrat totus Annus ſine Communione, non inde committeret duplex peccatum, ſed unum tantum, quia præceptum quamvis ſit virtualiter duplex, realiter tamen eſt unum tantum.

Contra illud, quod ſuperius dixi, quod quis tenetur in Paſchate communicare, etiam ſi paulo ante id tempus communicaverit, poteſt fieri hæc inſtantia. Qui audit Miſſam in die Feſto ex devotione intendens aliam audire, ut ſatisfaciat præcepto, ſi non audit, adhuc cenſetur ſatisfeciſſe obbligationi præcepti, ergo etiam qui communicat ante tempus Paſchale, ſi poſtea eo tempore non communicat, cenſetur ſatisfeciſſe:

Sed contra Conc.antec.nego conſequentiam. Diſparitas eſt,ideo in primocaſu ſatisfacit,quia audit Sacrum in die,quo urget præceptum,non autem in ſecundo, quia communicat extra tempus deſignatum ab Eccleſia, quod eſt tempus Paſchale, ideoque &c.

Nomine Paſchatis pro communione facienda juxta uſum Romanæ Eccleſiæ venit tempus a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive.

Unuſquiſque in Paſchate tenetur ex præcepto Euchariſtiam ſumere in propria Parochiali; & de manu proprii Parochi, aut ab eo delegati; adeo ut quis ſatisfaciat communicans in aliena Parochia, etiam ſi ſit Parochia Cathe-

dra-

dralis Eccleſiæ, niſi interveniat conſenſus Epiſcopi, aut proprii Parochi.

Ratio eſt, quia Parochus Eccleſiæ Cathedralis non habet juriſdictionem ſupra Oves cæterarum Eccleſiarum, & Parochiarum ejuſdem Civitatis, aut Diæceſis. Parochiæ enim ſunt diviſæ inter ſe,& quilibet Parochus etiam Eccleſiæ Cathedralis eſt Paſtor privatus privatæ, & limitatæ juriſdictionis, ſicuti cæteri Parochi reſpective ad ſuas Oves.

Nec eſt confundenda juriſdictio Epiſcopi cum juriſdictione Parochi Cathedralis. Ille enim habet in totam Diæceſim, iſte vero limitatam ad ſuam Parochiam; & ſi in aliqua Diæceſi viget hæc praxis, ut Eccleſia Cathedralis admittat quoſcunque accedentes ad Communionem,id erit, quia aderit conſenſus Epiſcopi; quo ſecluſo certe non ſatisfit præcepto.

Tempus, quo incipit obligatio annuæ Communionis pro maſculis eſt annus 14. pro fœminis 12.; melius tamen erit anticipare, ſi Parochus, & Genitores ita bene judicent, & noverint, adeſſe ſufficientem capacitatem, & cognitionem ad digne, & reverenter communicandum.

Qui tempore Paſchatis culpabiliter omiſerit Communionem, eſt a jure interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ,& privatus Eccleſiaſtica ſepultura, non tamen a jure excommunicatus, ſed poteſt excommunicari ab homine, quemadmodum ſolent Epiſcopi ad aliorum exemplum, & terrorem eos ſpecialiter excommunicare, cum poſtquam fuerunt canonice admoniti contumaces perſeverant.

Qui in Paſchate ad Euchariſtiam ſacrilege accedit, non ſatisfacit præcepto Communionis, ut fuit ab INNOCENTIO XI. definitum,

tum, ſicut etiam definitum eſt ab ALEXANDRO VII. non ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis per Confeſſionem ſacrilegam, ideſt voluntarie nullam, quia præceptum obligat, ut fiat fructuoſa; nempe cum fructu ſuſcipientis.

Dices: exiſtens in peccato ſatisfacit præcepto jejunii; ergo etiam exiſtens in peccato ſatisfacit præcepto Communionis. Sed contra Conc. antec. nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in jejunio attenditur maceratio carnis, quæ adhuc habetur, etiam ſi qui jejunat, ſit in peccato. At in præcepto Communionis attenditur fructus ſuſcipientis, & reverentia Sacramento, quæ non habetur per ſacrilegam Communionem.

Ad dignam, & fructuoſam ſuſceptionem Euchariſtiæ hæc requiruntur. Primo intentio actualis vel virtualis communicandi; ſecundo, ſtatus gratiæ, itaut ſi quis habeat conſcientiam peccati lethalis, debeat prius confiteri, vel ſaltem dolere quantum poteſt, caſu, quo deſit copia Confeſſarii, & urgeat neceſſitas communicandi, vel immineat periculum ſcandali, ſi non communicet; 3. quod non ſit excommunicatus, per hanc enim pœnam ſeparantem a fidelium Communione, quis privatur paſſiva Sacramentorum participatione; 4. quod a media nocte antecedente ſit jejunus jejunio naturali; 5 quod non laboret morbo tali, quod particulam deglutire nequeat, vel ſit periculum vomitus.

Qui eſſet injuſte, ac nulliter excommunicatus, cum in foro conſcientiæ excommunicatus non ſit, poteſt ad Communionem accedere ſecreto, dummodo id faciat citra ſcandalum, & contemptum cenſurarum. Immo etiam publice accedere in eo loco ubi ignoratur excommunicatio.

Qui caſu deglutiret os aliquod, juxta probabilem

bilem quorumdam ſententiam poſſet communicare, quia oſſa non habent rationem cibi, cum non tranſeant in ſubſtantiam aliti, eo quod ſicuti deglutiuntur, ita emittantur, melius tamen, & probabilius dicendum negative.

Pollutio nocturna involuntaria, & copula conjugalis cauſa prolis, vel reddendi debitum facta, per ſe non impedit accedere ſequenti mane ad Communionem. Per accidens tamen poteſt impedire, ſi videlicet relinquant in mente phantaſmata impura, & in parte inferiori oblectamentum carnale tale, ut reddant ineptum ad Communionem devote peragendam.

An ne idem dicendum de pollutione habita cum negligentia veniali, & de copula conjugali ob voluptatem facta?

Reſpondeo, iſtos debere prohiberi, ne accedant ad Communionem, ut dicit Sanctus Gregorius relatus a Divo Thoma, multoque magis de fornicatione, & pollutione voluntaria, ſi tamen abſit ſcandalum. Verumtamen qui ſe communicaret poſt dicta peccata per Confeſſionem jam expiata, non peccaret: Prohibitio enim hæc eſt de conſilio, non de præcepto.

Infirmus tenetur ex præcepto Divino ſumere Euchariſtiam per modum Viatici, ſi ſit in periculo mortis conſtitutus, adeo ut Medicus teneatur ſub pœna excommunicationis admonere Parentes, ſive domeſticos, ut Parochus adminiſtret.

Infirmus non poteſt in eadem infirmitate pluries ſumere Viaticum, ſecus ſi infirmitas mutaverit ſtatum, & infirmus conſtituatur in novo periculo mortis. Poteſt tamen durante eadem infirmitate iterum communicare communione ordinaria ex devotione, nec eſt neceſſe, quod infirmus Viaticum ſumpturus, ſit jejunus: ratione enim tantæ neceſſitatis noluit

Eccleſia inducere hanc obligationem, quæ infirmis foret nimis oneroſa, & aliunde diſpoſitio jejunii ad Communionem non eſt de jure Divino, ſed tantum Eccleſiaſtico.

Qui nondum ſunt admiſſi ad Sacram Communionem, & incidant in articulum mortis, & Parochus videat, adeſſe in iis ſufficientem diſcretionem, & capacitatem, ſunt communicandi, ne diſcedant ex hac vita perpetuo privati tanto Sacramento.

Si Sacerdos non habeat aliam Hoſtiam conſecratam ad communicandum infirmum exiſtentem in periculo mortis, poteſt dare partem ſuæ. Immo volunt aliqui, poſſe hoc modo ex rationabili cauſa communicare etiam ſanum, quando aliter communicare non poſſit. Nunquam tamen neque ad communicandum infirmum, neque ſanum poteſt quis extra Miſſam conſecrare.

Si infirmus haberet magnam oris ſiccitatem, ut Sacramentum deglutire non poſſit, poteſt vino vel aqua humectare fauces, dummodo liquorem non degluriat, ſed expuat, ſi tamen ob neceſſitatem aliquid deglutiret, adhuc erit communicandus.

In aliquibus caſibus infirmi communicandi non ſunt, in iis nempe, in quibus timetur probabile periculum irreverentiæ Sacramenti, ut cum periculum timetur vomitus, aut expuitionis Sacramenti, vel in quibus non poſſit deglutiri Sacramentum. Hujuſmodi caſus ſunt ſchirantia, tuſſis vehemens valde frequens continuata, phreneſis cum furore, & ſimilia.

In dubio autem Parochus ponat ſe in tuto, & non communicet, ne exponat ſe periculo irreverentiæ.

In tuſſi quæ raro aggreditur, & quando infirmus ad libitum poteſt reſpirare, danda eſt Com-

Communio, quia tunc ceſſat ratio periculi, & irreverentiæ. In omni tamen caſu, in quo infirmus impediatur Euchariſtiam ſumere, inducendus eſt ad ſpiritualem Communionem, ut Sacramenti fine non fruſtretur.

Morte plectendis non eſt deneganda Communio, ſed danda, ſi ſint aliunde diſpoſiti; ſcilicet pœnitentes, & confeſſi: Et poteſt etiam iis dari quamvis non jejunis, quando nec anticipari poſſit Communio, nec differri ſupplicium.

Peccatoribus publicis, puta concubinariis, uſurariis, ac etiam excommunicatis deneganda eſt Communio, niſi dent ſigna pœnitentiæ publicæ, ſatisfaciant, & ſint confeſſi, & occaſiones peccandi ejiciant, ſicut Parochis præſcribit Rituale.

Amentes a nativitate communicandi non ſunt, ſi tamen habuerunt aliqua lucida intervalla, ut eſſent compotes rationis, & eo tunc petierint Communionem, ſi non ſit periculum irreverentiæ, tunc erit his danda Communio.

Semifatui, ideſt qui habent debilem uſum rationis, citra irreverentiam ſunt communicandi in Paſchate, & non frequentius.

Dœmoniaci etiam citra irreverentiam communicandi ſunt, niſi conſtet, eos torqueri a Dœmone ob aliquod crimen, tunc enim habendi ſunt pro excommunicatis.

Peccatori publico, ſive publice ſive occulte petenti non eſt danda Communio. Peccatori autem occulto, ſi publice petat, eſt danda, ſi vero occulte, eſt neganda.

Prima pars patet, quia dans Sacramentum indigno, infert magnam irreverentiam Sacramento, dat enim Sanctum Canibus, tum quia nihil in neganda Euchariſtia peccatori publico detrahitur ipſi de fama,

cum jam ſit notorie infamis.

Secunda pars quo ad dandam publice petenti, patet, tum exemplo Chriſti, qui eam dedit Judę peccatori occulto,tum ne Proximo detrahatur de fama, & generentur ſcandala in Eccleſia. Quo ad ultimam partem militat ratio ſuperior de non dando Canibus Sancto.

Quid ſi agatur de dando Sacramento alicui coram decem adſtantibus, & illorum quinque ſciant illius crimina, quinque vero neſciant. Si Sacerdos adminiſtrat, infamat ſe ipſum apud conſcios, ſi negat, infamat illum apud ſocios. Caſus non eſt adeo Metaphyſicus, ut practicus eſſe non poſſit.

Reſp. tergiverſandum, differendum, ſuſpendendum, ſi commode, & ſine ſcandalo fieri poteſt; ſin autem, dandum eſt. Ratio eſt, quia ſi negatur, diffamatur petens apud inſcios, ſi datur non diffamatur Sacerdos, cum poſtea poſſit monere adſtantes conſcios, ſe id feciſſe ad vitandum ſcandalum inſciorum, & cauſa conſervandæ famæ.

Petenti Communionem, quem Sacerdos novit ex Confeſſione indignum, nequit eam denegare ſive publice, ſive occulte petat ob ſigillum Confeſſionis inviolabile.

Parochus eodem die nunquam eundem bis communicet, ita Poſſevinus. Miniſter ordinarius Euchariſtiæ eſt Parochus, cui incumbit ex officio paſcere oves ſuas. Regulares autem ſunt Miniſtri ex privilegio;nam uſu receptum eſt, Regulares in ſuis Eccleſiis miniſtrare Euchariſtiam, excepto tamen die Paſchatis.

Si Parochus injuſte negaret Communionem, poterit Sacerdos ſimplex licite petenti miniſtrare, maxime ſi urgeat neceſſitas.

Parochus ſub lethali tenetur ratione officii ex juſtitia miniſtrare Viaticum ſuis ovibus in-

fir-

firmis peſte laborantibus, etiam cum periculo propriæ vitæ, cum ceſſerit juri ſuo quo ad propriam vitam tuendam; nam tenetur ut bonus Paſtor dare animam ſuam pro ovibus ſuis.

Et licet aliqui cenſeant, poſſe uti aliquo inſtrumento ad miniſtrandam Euchariſtiam, modo non ſit periculum lapſus; tutius tamen eſt, porrigere manu ſine medio aliquo inſtrumento, & ita in praxi eſt conſulendum, & agendum.

Non licet Parocho non jejuno celebrare ad communicandum infirmum, alioquin ſine Viatico moriturum, quia diſpenſatio ſumendi Euchariſtiam ſine jejunio eſt ſolum conceſſa communicaturo in articulo mortis, non autem celebraturo ad alium in eo articulo communicandum.

Poteſt Parochus in loco ubi eſt ſolus, non habens qui ei miniſtret Euchariſtiam in articulo mortis in Peſte, & alia neceſſitate eam ſibi ipſi miniſtrare; ſed debet uti ſuperpelliceo, & ſtola, quia ita neceſſarium eſt de præcepto Eccleſiæ in tractante Euchariſtiam. Et poteſt quo ad hoc etiam non jejunus celebrare.

Utrum miniſtrans Euchariſtiam in peccato lethali, peccet lethaliter. Aliqui ſentiunt negative, quia non conficit Sacramentum miniſtrando. Tum quia ſi Laicus exiſtens in peccato lethali elevans Hoſtiam in terram lapſam, non peccat, ita neque &c. Alii vero dicunt, peccare ſacrilege Sacerdotem, vel Diaconum miniſtrantem Euchariſtiam in peccato lethali, ob irreverentium, quam infert tanto Sacramento.

In qualibet Eccleſia Parochiali aſſervari debet Euchariſtia, ut eam commode Parochus ad Infirmos deferre poſſit juxta indigentiam.

Si ob gravem negligentiam Parochi Lam-

 pas

pas per diem, vel noctem non ardeat ante venerabile Sacramentum, peccat mortaliter, non autem ſi per horam tantum; ratione parvitatis materiæ.

Triplici modo Communio fieri poteſt, Sacramentaliter tantum, ſpiritualiter tantum, ſpiritualiter ſimul, & Sacramentaliter.

Primo modo fit, cum quis actu ſuſcipit Sacramentum tantum, idest ſine fructu; ſecundo modo, cum quis ſuſcipit deſiderio tantum; tertio modo, cum quis ſuſcipit deſiderio, & actu, nempe Sacramentum, & fructum Sacramenti.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

AB INNOCENTIO XI. 55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

Ab ALEXANDRO VIII. 24. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

25. Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

CAPUT VII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

SAcrificium in communi proprie tale eſt oblatio Deo facta per actionem Sacram aliquo modo deſtructivam, ſeu immutativam Victimæ, quæ ſacrificatur in recognitionem ſupremi Dominii Dei in vitam, & mortem.

In.

In Miſſa offertur verum, & excellentiſſimum Sacrificium, quia in ea Chriſtus immolatur Æterno Patri per actionem conſecrativam Corporis, & Sanguinis ipſius, ſub ſpeciebus panis, & vini, quatenus, quantum eſt ex vi verborum Conſecrationis, ſeparatur Corpus a Sanguine, ſeu ponitur Corpus a Sanguine ſeparatum, atque ita Chriſtus, qui eſt Victima, quodammodo myſtice, & Sacramentaliter mactatur in hoc Sacrificio.

Partes Sacrificii Miſſæ ſunt tres; nempe Oblatio, Conſecratio, & Conſumptio. Oblatio eſt pars tantum accidentalis, ita ut ea deficiente non deficeret eſſentia, nec ſubſtantia Sacrificii: peccaret tamen graviter Sacerdos eam ſcienter omittens, quia faceret contra inſtitutionem Eccleſiæ in re gravi.

Eſſentia adæquata Sacrificii conſiſtit in Conſecratione ſub utraque ſpecie, itaut ſi quis conſecraret ſub una tantum ſpecie, puta ſub ſpecie ſolum panis, habetur Sacrificium inadæquate tantum, ac proinde, ut habeatur eſſentia adæquata Sacrificii, neceſſe eſt, quod Conſecratio fiat ſub utriſque ſpeciebus.

Conſumptio non intrat eſſentiam Sacrificii conſtitutive, tanquam ſcilicet pars ipſius conſtitutiva eſſentialis, ſed ſolum ſpectat ad integritatem, & perfectionem ejuſdem ſubſtantialem, quæ proinde fieri neceſſario debet, itaut ſi Sacerdos poſt Conſecrationem moreretur, deberet alius Sacerdos etiam ſi non jejunus ſubſtitui, & perficere Sacrificium, eo quod conſummatio Sacrificii ſit de Jure Divino indiſpenſabili omnino per authoritatem humanam Eccleſiæ.

Sacrificium Euchariſticum ratione ſuæ excellentiæ eſt propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium. Propitiatorium pro peccatis.

Im-

Impetratorium pro beneficiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus obtinendis. Satisfactorium pro pœna peccatis debita.

Principalis offerens Sacrificium Miſſæ eſt Chriſtus Dominus, qui teſte meo Paulo Apoſt. ſempiternum habet Sacerdotium, quique, ut inquit Pſalmiſta, Sacerdos eſt in æternum. Deinde Sacerdos ipſe celebrans. Tertio illi, qui dederunt eleemoſynam pro Sacrificio, ac denique adſtantes omnes Sacrificio.

Soli Deo eſt offerendum Miſſæ Sacrificium. Eſt enim actus Latriæ debitus uni, & ſoli Deo Creatori, & Gubernatori rerum omnium. Et quamvis celebrentur Miſſæ de Sanctis, non ideo tamen iis offertur Sacrificium, ſed imploramus eorum Patrocinium, ut dignentur ipſi pro nobis intercedere in Cælis, quorum memoriam agimus in Terris, & etiam gratias agendo Deo, qui ipſos coronavit immarceſcibili gloria.

Sacrificium Miſſæ applicari poteſt pro omnibus qui ſunt capaces fructus Sacrificii, ſive vivis ſive mortuis.

Hinc primo Sacerdos applicare nequit Miſſæ Sacrificium pro excommunicatis publice, & nominatim denunciatis, quia non ſunt capaces, cum priventur participatione activa, & paſſiva Sacramentorum, & Communione Eccleſiæ, & Fidelium.

Hinc ſecundo neque pro non baptizatis ac infidelibus applicare poteſt directe, quia cum Baptiſmus ſit janua Sacramentorum, ante ipſum quis eſt incapax fructus Sacramentalis ex opere operato, ſicque etiam fructus Sacrificii.

Dixi directe, quia indirecte ſaltem pro iis offerre poteſt Sacrificium, cum ſcilicet directe offert pro dilatatione fidei, & Eccleſiæ, ſub qua directa oblatione veniunt indirecte infide-

les,

les, quatenus exoratur Deus, ut eos illuminet, ut venire poſſint ad agnitionem Fidei.

Hinc tertio neque pro damnatis, & animabus exiſtentibus in Limbo, quia incapaces ſunt fructus Sacrificii ratione ſtatus in quo ſunt.

Nec valet dicere, quod Eccleſia in Miſſa de requie orat Deum, ut liberet animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de ore Leonis, ne abſorbeat eas tartarus, non valet, inquam, quia, ut docet Homobonus, nomine Tartari, & inferni intelligi Purgatorium, vel ut docent alii, Eccleſia in dicta oratione refert intentionem ſuam ad animas exiſtentes ante Tribunal Dei, & orat Deum, ut liberet &c. & ne abſorbeat &c. retrotrahendo intentionem ſuam ad præterita, veluti ac ſi eſſent præſentia, ut cum in die Nativitatis Dominicæ ſibi repræſentat Jeſum Infantem tunc natum, in die Paraſceve morientem, in die Paſchatis reſurgentem, in die Aſcenſionis aſcendentem, unico verbo Eccleſia repræſentat præterita tanquam præſentia.

Nec denique pro Beatis offerri poteſt Sacrificium, ut iis proſit ad augmentum gloriæ, quia eorum gloria immortalis eſt. Poteſt tamen offerri Deo, gratias agendo ei pro Beatitudine ipſis collata, tum etiam in honorem, & gloriam ipſorum Beatorum, ut patet ex offertorio, quod quotidie fit in Miſſa.

Debet a Sacerdote applicatio Sacrificii eſſe facta ante Conſecrationem; non eſt tamen neceſſe quod fiat immediate ante celebrationem, ſed ſufficit quod fuerit facta, & non retractata.

Applicatio Sacrificii ut ſit valida, debet eſſe de præterito, aut de præſenti, non autem de futuro v. gr. applico Sacrificium Miſſæ juxta intentionem illius, qui dedit eleemoſynam, ſeu illius qui de præſenti dat mihi, non autem pro.

to qui dabit mihi eleemoſynam, quia fructus Sacrificii nequit remanere ſuſpenſus, & quaſi pendulus.

Quamvis applicatio Sacrificii a Sacerdote Regulari facienda ſit juxta mentem Superioris, ſi tamen applicaret pro alio contra mentem Superioris, valide applicaret, quia applicatio eſt actus poteſtatis Sacerdotalis, peccaret tamen, quia faceret contra obedientiam debitam ſuo Superiori.

Valor Sacrificii Miſſæ ex parte rei oblatæ, Corporis ſcilicet, & ſanguinis Chriſti propter unionem ad Verbum, & ex parte principalis offerentis, qui eſt Chriſtus, eſt infinitus. Ex parte autem effectus, & aliorum offerentium eſt finitus; Ita enim præſumitur eſſe voluntas Chriſti, ut ad certum, finitum, & limitatum effectum producendum ſit inſtitutum, & ita etiam acceptatur a Deo, in ordine ſcilicet ad effectum finitum, & limitatum; ſecus unum Sacrificium Miſſæ ſufficeret pro omnibus, & pro toto Mundo.

Vel dic valorem Sacrificii eſſe infinitum quoad ſufficientiam, & in actu primo, attenta dignitate infinita rei oblatæ, & principalis offerentis: finitum vero quoad efficaciam, & in actu ſecundo, cum non operetur, niſi juxta diſpoſitionem ſubjecti, pro quo offertur, & applicatur, quæ finita eſt, ſicut ſubjectum ipſum eſt finitum, unde cum debeat ipſi proportionari, propterea valor Sacrificii non eſt niſi finitus in actu ſecundo; & non niſi modo finito operatur.

Valor ſeu fructus Sacrificii Miſſæ triplex eſt. Generaliſſimus, ſpecialiſſimus, & ſpecialis. Primus eſt ille, qui debetur toti Eccleſiæ. Secundus qui eſt debitus celebranti. Tertius qui & dicitur medius, eſt qui applicatur illi, pro quo offertur.

Sa-

Sacerdos non poteſt diſponere de valore, ac fructu toti Eccleſiæ debito, neque de illo, qui ipſius eſt proprius. Poteſt ergo diſponere ſolum de fructu medio juxta ipſius applicationem.

Percipitur valor ſeu fructus Sacrificii dupliciter. Primo ex opere operato, nempe ex re oblata, ſecundum eam taxam fructus, quam determinavit Chriſtus; ſecundo ex opere operantis, videlicet ex fervore, & precibus peculiaribus ipſius Sacerdotis offerentis.

Valor Sacrificii oblati a Sacerdote indigno exiſtente ſcilicet in peccato lethali, quantum ad valorem ex opere operato, eſt æqualis, quia iſte valor dependet a Chriſto, non a diſpoſitione Sacerdotis. Quantum autem ad illum ex opere operantis inæqualis, quia iſte dependet a diſpoſitione Sacerdotis, quæ eſt inæqualis, cum alius ſit alio ſanctior, alius probus, & alius improbus.

Sacerdos celebraturus exiſtens in peccato lethali, debet prius confiteri, ſi adeſt copia Confeſſarii, qua deficiente debet elicere actum contritionis, ſuppoſito, quod habeat neceſſitatem celebrandi, itaut tamen teneatur quamprimum confiteri, ideſt data prima commoditate antequam tamen de novo celebret.

Sacerdos celebrans in peccato lethali unicum tantum committit peccatum, quamvis conſecret, ſibi miniſtret, & ſumat, ſive recipiat Sacramentum: quia omnes iſtæ actiones quamvis ſecundum ſe ſumptæ ſint plures Phyſice, tamen moraliter cenſentur unica tantum, quia ordinantur ad unum finem, nempe ad unitatem Sacrificii.

Si Sacerdos deferat ad Altare duas hoſtias, putans eſſe unam tantum, erunt ne ambæ Conſecratæ?

Reſpondeo: ſi Sacerdos habuit intentionem

Con-

Conſecrandi totam materiam ſibi præſentem, ambæ erunt Conſecratæ. Si vero illam tantum hoſtiam, quam videt, illa tantum erit Conſecrata, & non alia; ſi autem nullam determinavit, nulla erit Conſecrata.

Ubi noto, hoſtiam, de qua Sacerdos dubitaret, an fuerit conſecrata, poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis deberet & illam conſumere.

Euchariſtia ut Sacrificium differt a ſe ipſa, ut eſt Sacramentum, potiſſimum per hoc quod ratione Sacrificii habet pro fine recognitionem ſupremi Dominii Dei, in ratione autem Sacramenti ſanctificationem noſtram. Cum etiam diſcriminatur per hoc, quod ut Sacramentum conſervatur, non ut Sacrificium, quia ut Sacrificium conſumitur, & debet conſumi; ut Sacramentum autem conſervatur Populo diſtribuendum, ſeu ad Populum Communicandum.

Sacerdos tenetur ſub lethali aliquoties celebrare ſaltem ter, vel quater in anno. Et ſi urgeat neceſſitas communicandi infirmum per Viaticum, ſi ſit Parochus tenetur ſub lethali ex juſtitia, & ex charitate, ſi vero ſit alius a Parocho tenetur ſub lethali ſaltem ex charitate celebrare.

Sacerdos perventus ad Offertorium, ſeu ad oblationem, poteſt relinquere ſacrificium, & recedere ab Altari ex aliqua rationabili cauſa. Et peracta Conſecratione, ſi occurrat neceſſitas audiendi confeſſionem moribundi, vel baptizandi infantem periclitantem, & non ſit alius qui ſuppleat, poteſt relinquere ſacrificium, deputando Virum probum ad cuſtodiam Sacramenti, vel reponendo in Tabernaculo, & poſtea redire debet ad Altare ad perficiendum ſacrificium.

Parochus tenetur quotidie celebrare pro Po-

pu-

pulo; ſi redditus ſint pingues; ſi vero ſint tenues, ſaltem in diebus feſtis.

Ordinati Concelebrantes cum Epiſcopo poſſunt pro libito applicare Sacrificium, quia ſinguli ſecundum ſe ſunt cauſa Sacrificii: & ſe habent veluti ac ſi quilibet ſolus celebraret. Ubi adverte, ſingulos Concelebrantes concurrere tanquam cauſas totales efficientes ad idem numero Sacrificium.

In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum volunt aliqui applicandum eſſe Sacrificium Miſſę juxta intentionem Univerſalis Eccleſiæ. Alii vero ſentiunt, poſſe applicari pro libito Sacerdotis.

Non licet accipere ſtipendium pro Celebratione Miſſæ tanquam pretium, quia hoc eſſet ſimonia. Bene autem licitum eſt, illud accipere pro ſubſtentatione Sacerdotis, ut jam ſatis alibi dictum eſt.

Sacerdos tenetur ex juſtitia celebrare tot Miſſas, quot ad rationem ſtipendii traditi præſcriptæ fuerunt. Unde non poteſt Sacerdos unica Miſſa ſatisfacere pro pluribus ſtipendiis parvis ad rationem congrui, & integri ſtipendii computati, etiam ſi paupertate coactus, modica illa ſtipendia acceptaverit, ſed debet tot Miſſas celebrare, quot promiſit, quia Pontificia Decreta abſolute loquuntur, & ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

Neque poteſt ſibi retenta parte eleemoſynæ alteri tradere minorem, ut habetur in Bulla de Celebratione Miſſarum.

Utrum autem Sacerdos, qui accipit eleemoſynam pinguiorem conſueta pro Miſſa, poſſit alteri Sacerdoti committere celebrationem Miſſæ, dando ei eleemoſynam conſuetam reliquo ſibi retento.

Diſtinguendum eſt, vel ille, qui eleemoſy-

nam

nam pinguiorem dedit, eam dedit intuitu Sacrificii, ob ejus reverentiam, vel intuitu perſonæ, ob ejus benevolentiam; ſi primum tenetus dare totam eleemoſynam acceptam nihilo ſibi retento; ſi vero ſecundum, poteſt ſibi retinere, quod excedit conſuetum ſtipendium.

Cappellanus poteſt committere alteri Celebrationem Miſſæ ſibi retenta parte ſtipendii excedentis ſolitam eleemoſinam, dummodo tamen ſtipendium ſit affixum Cappellaniæ.

Utrum Cappellanus obligatus ad quotidie celebrandum, poſſit aliquando omittere Celebrationem?

Reſpondetur, ſi inſtitutio Miſſæ ſit directa ad Sacerdotem, & reſpiciat erectionem ipſius Cappellani, ut cum inſtitutio eſt expreſſa hujuſmodi verbis. Erigatur Cappellanus qui quotidie celebret in tali Eccleſia, vel in tali Cappella, tunc quandoque honeſtatis cauſa, poteſt ſine læſione juſtitiæ omittere Celebrationem Miſſæ; ſi vero inſtitutio ſit directa ad locum v. g. celebretur quotidie Miſſa in tali Eccleſia, vel Cappella, tunc cum id præſtare poſſit per alium, tenetur, ut voluntatem Teſtatoris adimpleat.

Utrum autem ſi Cappellanus ægrotaret per octo vel decem dies, teneatur eodem modo ſatisfacere per alium.

Reſpondetur, non teneri. Quia ſicuti famulo ægrotanti per octo vel decem dies currit ſtipendium, & Dominus tenetur de jure alimenta ei ſubminiſtrare, quin famulus teneatur alium ſubrogare, qui loco ſui famulatum præſtet; ita Cappellano ægrotanti per octo vel decem dies currunt fructus Cappellaniæ, quin teneatur per alium ſatisfacere. Si autem ad longius tempus ægrotaret, tunc utique teneretur.

Cappellanus obligatus ad celebrandum ad ta-

tale Altare, ſi ſæpe extra illud celebraret, peccaret graviter, quia fraudaret in re gravi mentem Teſtatoris, privando illud Altare cultu intento a Teſtatore; ſi vero ter vel quater ſolum in toto anno omitteret ibi celebrationem, non peccaret graviter ratione parvitatis materiæ.

Item peccaret graviter, qui accepta eleemoſina pro celebratione Miſſæ ad Altare Privilegiatum, ibi non celebraret, quia fraudaret in re gravi tradentem eleemoſynam, & privando Sacrificium privilegio Indulgentiarum contra illius mentem.

Si quis accepta eleemoſyna pro aliqua Miſſa votiva, vel de Requiem, adhuc ſatisfaceret per aliam Miſſam, quia omnes ſunt ejuſdem valoris; peccaret tamen venialiter, quia non ſtaret promiſſioni in re levi.

Si quis promiſit Celebrationem Miſſæ non accepto ſtipendio, quæritur, an teneatur. Reſpondeo, ſi promiſit animo ſe obligandi, tenetur, ſecus non.

Sacerdos qui ad longum tempus, quam par eſt v. g. ultra bimeſtre differt Miſſarum Celebrationem, peccat mortaliter, quia defraudat mentem tradentis eleemoſynam, niſi ille, qui tradidit eleemoſynam, det commodum Sacerdoti, ut celebret quando ipſi placuerit.

Si Sacerdos ſcienter omitteret in Miſſa Epiſtolam, non videtur peccare graviter, quia Epiſtola videtur ſpectare ad rem levem. Peccaret autem graviter ſi ſcienter omitteret Evangelium, aut ſymbolum, quando hoc eſt dicendum juxta Ritum, quia eſt omiſſio in re gravi.

Propoſitiones damnatæ ad hoc caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa lici-

cite, accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimi fructus ipſimet celebranti correſpondentem, hocque poſt Decretum URBANI VIII.

9. Poſt Decretum URBANI poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus, quam per decem Annos.

Ab ALEXANDRO VII. 39. Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

C A P U T VIII.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

SAcramentum Pœnitentię eſt Sacramentum Novæ Legis a Chriſto Domino inſtitutum ad delenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, & dicitur ſecunda Tabula poſt naufragium, ſicut Baptiſmus prima Tabula.

Hoc Sacramentum in re ſuſceptum, vel ſaltem in voto, eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem omnibus mortaliter lapſis poſt Baptiſmum.

Dixi, vel ſaltem in voto, quia in caſu quo Peccator proxime moriturus, non habens copiam Confeſſarii, eliciat actum perfectæ Contritionis, & moreretur, ſalvaretur ex vi voti Sacramenti Pœnitentiæ incluſi in actu perfectæ contritionis.

Ma-

Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata. Et hæc eſt duplex. Alia neceſſaria, alia ſufficiens.

Materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata lethalia; Materia vero ſufficiens ſunt peccata venialia; & etiam lethalia alias rite confeſſa, ſi quæ iterum velit quis confiteri.

Peccatum dubium non poteſt eſſe integra materia Confeſſionis, niſi addatur materia certa, nempe aliquod veniale certum, aut mortale, alias confeſſum.

Hinc peccatum veniale dubium non eſt materia ſufficiens Confeſſionis. E contra vero peccatum mortale dubium erit materia ſufficiens; quia mortale dubium eſt ſaltem veniale certum.

Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus ipſius Pœnitentis, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

Contritio eſt dolor de peccatis prout ſunt offenſa Dei cum propoſito non peccandi in poſterum.

Contritio eſt duplex. Alia perfecta, & eſt dolor de peccatis, ut ſunt offenſa Dei ſuper omnia dilecti. Et hæc, ut inquit Tridentinum, reconciliat hominem cum Deo, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, licet tamen non ſine voto ipſius.

Contritio vero imperfecta, quæ dicitur attritio, eſt dolor de peccatis, prout ſunt offenſa Dei ob timorem Gehennæ, vel ob turpitudinem eorundem.

Hæc ſufficit in Sacramento Pœnitentiæ ad conſequendam gratiam remiſſivam peccatorum.

Ut autem attritio ſit ſufficiens in Sacramento requiritur primo, quod ſit in re ſupernaturalis, nempe quod procedat ex motivo ſuperna-

tu-

turali. Unde ſi quis doleret de peccatis ob pœnas temporales, ut a Deo ſupernaturali Vindice infligendas, erit ſufficiens in Sacramento ad illorum veniam impetrandam.

Dixi, in re ſupernaturalis, quia ſi in re eſſet naturalis, quatenus putata ſupernaturalis, excuſaret quidem a peccato ſacrilegii, non tamen eſſet ſufficiens ad Sacramentum, nec per conſequens ad gratiam, ob rationem, quam infra ſubjiciam.

Inſuper requiritur, quod præcedat abſolutionem, quia materia debet præcedere formam.

Tertio requiritur quod ſit dolor ſpiritualis, quia cum dolor de peccatis neceſſarius in hoc Sacramento, ne dum requiratur, ut pars conſtituens, ſed etiam ut diſpoſitio ad gratiam, ſicut gratia & eſt ſupernaturalis, & eſt ſpiritualis, ita etiam dolor de peccatis. Nam diſpoſitio debet eſſe in eodem genere, & ordine, in quo eſt forma.

Hinc dolor pure ſenſibilis partis inferioris, ut ſunt lacrymæ, & gemitus, non requiritur neceſſario, nec ſufficit ſe ſolo ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſed oportet, quod ſit ſpiritualis, & ex parte ſuperiori, licet cum ſpirituali ſoleat etiam comitari ſenſibilis.

Quarto requiritur quod ſit de omnibus, & ſingulis peccatis mortalibus, quorum poſt diligens conſcientię examen memoriam quis habet, ſeu quorum recordatur; quia non poteſt remitti unum, quin remittatur & alterum; ratione incompoſſibilitatis gratiæ cum quocunque lethali.

E contra vero non eſt neceſſe, quod dolor de venialibus ſit de omnibus, ſed ſufficit de aliquibus; quia poſſunt remitti aliqua venialia, quin remittantur omnia, ratione compoſſibilitatis gratiæ cum venialibus; Et hoc quantum

ad

ad ipſum Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum.

In ordine vero ad lucrandam Indulgentiam plenariam requiritur dolor de omnibus tam lethalibus, quam venialibus, quia Indulgentia plenaria eſt relaxatio totius pœnæ debitæ peccatis etiam venialibus. Pœna autem non relaxatur, niſi prius relaxata culpa: Culpa autem non relaxatur niſi retractata, ac deteſtata per dolorem. Ergo &c.

Quinto requiritur, quod attritio talis ſit, ut voluntatem peccandi excludat; nempe requiritur, quod ſit dolor de peccatis cum propoſito in poſterum non peccandi; & hoc propoſitum, per ſe loquendo, debet eſſe formale, & explicitum: per accidens tamen, & in aliquo caſu ſufficere poteſt virtuale, & implicitum, contentum in ipſo dolore, ſeu deteſtatione peccati, nam dolendo quis de peccatis, habet implicitum propoſitum de non amplius peccando.

Sexto requiritur, quod ſit cum ſpe veniæ, ut colligitur ex iis Chriſti verbis in Evangelio. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*.

Dices: Attritio concepta ex metu gehennæ eſt mala, ergo nequit haberi in Sacramento, probo antec. non excludit affectum peccati; ergo eſt mala: probo antecedens, qui dolet de peccatis ob metum gehennæ, ita dolet, ut non doleret, ſi non eſſet gehenna, ſed qui ita dolet, ut &c. non excludit affectum peccati; ergo &c. Probo major. Qui projicit merces in Mare ob metum naufragii, ita projicit, ut non projiceret, ſi non immineret naufragium; ergo a pari &c. Sed contra ad hoc ultimum concedo antec. nego conſequentiam. Diſparitas eſt, ideo primum, quia reſpectu projicientis merces in Mare nullum aliud datur motivum, quam vitatio naufragii. At in caſu noſtro præter ge-

hennam datur aliud motivum ad dolendum de peccato, & ad ipſum fugiendum, nempe ipſa peccati inhoneſtas, ac turpitudo; & ideo non ſequitur quod dolens de peccatis ob metum gehennæ, ita doleat, ut non doleret ſi non eſſet gehenna; nam etiam ſi non daretur gehenna, adhuc peccatum eſſet indecens, & Dei offenſa.

Dices inſuper. Pœnitens accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ cum ſola attritione concepta ex hoc metu gehennæ, non accedit diſpoſitus; ergo ſola attritio non ſufficit in Sacramento. Probo antec. Ut Pœnitens accedat diſpoſitus, requiritur in eo dilectio Dei, ergo accedens cum ſola attritione non accedit diſpoſitus. Probo antec. Ex Tridentino dicente, peccatores diſponi ad juſtificationem, dum Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ergo ut habeatur ſufficiens diſpoſitio, requiritur dilectio Dei.

Sed contra nego antec. Ad prob. nego antec. Ad cujus prob. dico, mentem Tridentini non eſſe de dilectione Dei formali, concepta ex motivo charitatis, quia hæc eſt juſtificativa etiam extra Sacramentum, ſed de dilectione, ſeu amore Dei inchoato incluſo tum in ipſa voluntate, quam peccator habet, ſe reconciliandi cum Deo offenſo, quæ voluntas reconciliationis cum Deo eſt aliqualis dilectio illius: tum in propoſito non amplius peccandi, & ſervandi Dei præcepta, quod pariter eſt aliqualis, & inchoata dilectio Dei; tum etiam in ipſo odio peccati quamvis concepto ex metu pœnarum, quia qui odit malum alicujus, aliqualiter illum amat, amore veluti negativo, nolendo ſcilicet illi malum. Tum denique in ipſa ſpe veniæ. Stat igitur, quod quis ſit bene diſpoſitus ad Sacramentum cum ſola attritione ſine

actu

actu dilectionis Dei procedente ex motivo charitatis.

Si quis vellet eadem peccata alias rite confeſſa, & abſoluta denuo ſubdere clavibus, deberet iterum novum dolorem concipere, tanquam novam materiam novi Sacramenti, & novam diſpoſitionem ad novam gratiam. Qui confitetur peccata alias confeſſa, & remiſſa, confiteatur, ut commiſſa, non autem ut remiſſa.

Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe validum, & informe; quia diſpoſitio in hoc Sacramento ad gratiam, eſt etiam pars conſtitutiva ipſius Sacramenti, & ideo &c.

Reliqua vero Sacramenta poſſunt eſſe valida, & informia: quia in reliquis diſpoſitio non eſt pars, ſed habentur omnia conſtitutiva eſſentialia ſine diſpoſitione: ſic Adultus ſuſcipiens Sacramentum Baptiſmi ſine diſpoſitione, nempe ſine dolore de peccatis mortalibus commiſſis, ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi validum, & informe. Et ſic de aliis Sacramentis, excepto Sacramento Pœnitentiæ, ubi diſtinguitur dolor pars a dolore diſpoſitione. Unico verbo, ubi diſpoſitio eſt etiam pars eſſentialis Sacramenti, non datur Sacramentum validum, & informe, datur autem ubi non &c.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 51. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam.

Ab ALEXANDRO VIII. 16. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

Ab eodem 17. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione be-

nevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

CAPUT IX.

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

Confeſſio Sacramentalis eſt legitima accuſatio peccatorum propriorum coram Sacerdote, tamquam Vicario Chriſti ad obtinendam ipſorum remiſſionem virtute clavium, & Sacramentalis abſolutionis.

Conditiones eſſentialiter requiſitæ ad Confeſſionem Sacramentalem ſunt: Integritas quo ad lethalia, ita ut omnia, & ſingula explicentur, tam quo ad ſpeciem, quam quo ad numerum; nam ſi unum vel aliud malitioſe taceatur, Confeſſio eſt invalida, & ſacrilega, & eſt repetenda. Deinde Veritas, itaut dicantur certa pro certis, & dubia pro dubiis. Item dolor de peccatis cum propoſito de non amplius peccando, juxta dicta ſuperius. Ac denique propoſitum ſatisfaciendi, ſeu exequendi Pœnitentiam a Confeſſario impoſitam, quæ debet eſſe acceptata a Pœnitente, ſecus Confeſſio eſſet irrita defectu diſpoſitionis; nam ut acceptata, eſt pars eſſentialis, ut vero actu exercita, eſt tantum pars integralis, ut dicetur infra.

Quo ad integritatem Confeſſionis ſciendum, duplicem dari, aliam materialem, aliam formalem. Integritas materialis eſt, quando ita explicantur peccata, ut quo ad ſpeciem, & numerum nullum omnino omittatur. Integritas vero formalis eſt, quando omittitur aliquod peccatum, vel ex oblivione, vel ex juſta, & rationabili cauſa.

Per

Per ſe loquendo Confeſſio debet eſſe integra nedum formaliter, ſed etiam materialiter, itaut omnia peccata explicentur & quo ad ſpeciem, & quo ad numerum, & quo ad circumſtantias.

Per accidens autem, & in aliquibus caſibus ſufficit quod ſit integra materialiter. Ut in caſu oblivionis alicujus peccati, vel in caſu quo Infirmus periclitetur mori, antequam ſit integre confeſſus; aut ſi ita defatigatur in peccatorum ſuorum explicatione, ut vires deficiant, vel in caſu, quo immineat incendium, vel naufragium, aut conflictus cum Hoſte, vel denique ſi ex diuturna aſſiſtentia immineat Confeſſario periculum vitæ, ut tempore morbi contagioſi. In his, ac ſimilibus caſibus excuſatur quis ab integritate materiali Confeſſionis, & Confeſſio eſſet formaliter integra.

Formaliter, inquam, integra, quatenus informata dolore extenſivo ad omnia peccata etiam oblita, aut ex juſta cauſa prætermiſſa in Confeſſione.

Veruntamen occurrente materia, aut ceſſante motivo reticentiæ, tenetur Pœnitens illa peccata, quæ prætermiſit ex juſto motivo, aut ex oblivione, ſubdere clavibus, ut de iis obtineat abſolutionem directam, cum ſolum indirecte, nempe per concomitantiam, ex eo quod non poſſit remitti unum ſine altero, fuerit ab iis abſolutus.

Scienter, & ex malitia dicere in Confeſſione mendacium, in materia gravi, variando ſpeciem, vel minuendo numerum peccatorum lethalium, Confeſſio eſt invalida, & ſacrilega.

Dicere autem mendacium ex ignorantia, & ex inadvertentia, non invalidat Confeſſionem, ſed tenetur quis illud, quod tacuit ex inadvertentia, ſi menti occurrat, aperire in Confeſ-

ſione, cum illud fuerit ſolum indirecte abſolutum.

Dicere mendacium etiam ſi ſcienter in materia levi, ſeu non pertinente ad Confeſſionem, peccatum quidem veniale eſt, ſed non invalidat Confeſſionem. Dummodo tamen tale mendacium non ſit tota materia Confeſſionis, ut ſi quis ſcienter exponeret in Confeſſione aliquid veniale, quod revera non commiſiſſet, & nihil aliud confiteretur, invalide confiteretur, & grave committeret ſacrilegium; quia per mendacium veniale, quod eſt tota materia Confeſſionis, redditur irritum Sacramentum, & committitur grave ſacrilegium.

Si quis inadvertenter diceret peccatum tamquam certum, & poſtea noſceret, eſſe dubium, non teneretur iterare Confeſſionem: E contra ſi diceret dubium pro certo, tunc teneretur, & ratio hæc eſt, quia ſicut minus continetur in majori, non e contra, ita dubium continetur in certo, non e contra.

Idem dicendum de eo, qui dixiſſet numerum peccatorum excedentem, & poſtea deprehenderet fuiſſe minorem, qui utique continetur in excedente; e contra autem ſi dixiſſet numerum minorem, quem poſtea deprehenderet eſſe majorem notabiliter. Unde

Si quis diceret in materia neceſſaria: peccavi decies circumcirca, & poſtea deprehenderet, ſe peccaſſe undecies, vel duodecies, non obligatur repetere Confeſſionem, cum in numero non eſſet magnus exceſſus, & præſertim quia ly *circumcirca*, aut ly *plus minuſve* extenditur etiam ad numerum parum diſtantem; quapropter non tenetur ad denuo confitendum. Si autem exceſſus eſſet in magna quantitate, tenetur denuo confiteri.

Si

Si in Ruſticis, Mulierculis, & Pueris, qui bona fide ſuas confeſſiones fecerunt, occurrent dubia, ut iis tractu temporis videatur in multis ſe defeciſſe, non ſunt cogendi repetere Confeſſiones, quia prudenter ſupponi debet Confeſſarius ſatis ſuperque percepiſſe, ſaltem in confuſo, eorum peccata, & directe abſolviſſe; immo praxis fidelium eſt has Confeſſiones non repetere: ſecus, ſi obligarentur, facile deducerentur in ſcrupulos.

Quantum ad Peccatores habituales, ut Meretrices, quæ velint malam vitam relinquere, & reduci ad bonam frugem, non tenentur dicere ſpecies omnes,& numerum ſuorum peccatorum, cum hoc ſit iis valde difficile, quin immo impoſſibile, ſed ſufficiet, ſi Meretrix dicat tempus mali ſui ſtatus, & ſpecies principales peccatorum, quas memoria retinuit, dicendo: peccavi cum ſolutis, cum conjugatis, cum voto caſtitatis adſtrictis ſaltem in confuſo, toties, plus vel minus, ſingulis menſibus vel hebdomadis.

Idem dicendum de habituatis in peccatis internis, ita ut ſufficiat dicere: tanto tempore circumcirca fœminas obvias concupivi dicendo ſpecies principales v.g. frequenter ſolutas, raro conjugatas, vel conſanguineas &c. vel e contra, prout ſe geſſerit plus, minuſve.

Idem pariter erit dicendum de eo, qui domi habuit concubinam, itaut ſatis ſit, ſi dicat: retinui apud me Puellam per tot annos tanquam Uxorem, & ſemel in die plus minuſve eam carnaliter cognovi, & habui ſemper animum paratum ad eam cognoſcendam pro libito meo.

Media, quibus quis uſus eſt ad peccandum, ſi ſunt indifferentia, ut v.gr. ſcalam apponere ad feneſtram ob fornificandum, non ſunt de-

claranda in Confeſſione. Si vero ſunt mala, & diverſæ ſpeciei a peccato, quod intenditur, ut verb. gr. furari ob adulterandum, inducere alium, ut ipſum adjuvet ad occidendum, ſunt utique exponenda, quia in primo caſu eſt peccatum furti diverſum ab adulterio, in ſecundo peccatum ſcandali.

Si autem media ſint mala, & ejuſdem ſpeciei ac veluti actus initiativi in ordine ad actum conſummatum, ut v.gr. turpiloquium, tactus,oſcula &c.aſſumpta ad fornicandum immediate ante ſecutum actum conſummatum, non ſunt exprimenda, quia faciunt unum cum actu conſummato, quo tamen non ſecuto, neceſſario ſunt exprimenda,quia de ſe ſunt mala.

Si quis in ſua adoleſcentia tacuerit aliquod peccatum lethale ob erubeſcentiam, & poſt multos annos recordetur illius peccati, non tenetur repetere omnes Confeſſiones, ſed illas tantum, quas ſcienter, & ſacrilege fecit quouſque duravit memoria illius peccati commiſſi.

Si quis poſſet confiteri integre peccatum ſuum abſque revelatione complicis, adeundo Confeſſarium, apud quem non eſſet nota Perſona complicis, tenetur id facere; ſi autem non poſſet, tenetur integre explicare peccatum, etiam revelando complicem: Et ratio eſt,quia complex peccati ceſſit juri ſuo quo ad bonam famam quam apud Confeſſarium habebat, tum quia ordo charitatis poſtulat,ut quis prius conſulat ſaluti propriæ ſpirituali, & poſtea bonæ famæ alterius, cum præſertim hæc parum, aut minime lædatur apud Confeſſarium, qui tenetur ad perpetuum ſigillum de auditis in Confeſſione.

Utrum tandem in Confeſſione generali teneatur quis diſtinguere peccata nondum con-

feſſa a peccatis alias confeſſis. Dicendum teneri, quia diverſum judicium poſtulat materia neceſſaria, ac poſtulet ſufficiens; hinc ut recte procedat Confeſſarius in judicando circa peccata, debent diſtingui peccata nondum confeſſa a confeſſis.

Idem dicendum, quando quis poſt tres, aut quatuor dies denuo confiteatur, dicendo ſolum peccata alias confeſſa, tenetur enim explicare, talia peccata fuiſſe alias confeſſa, & iterum de iiſdem confiteri.

Idem denique eſt dicendum, quando quis in Confeſſione aliquorum venialium, quæ ab ultima Confeſſione uſque ad præſens commiſit, dicit aliqua lethalia alias confeſſa.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

Ab ALEXANDRO VIII. 2. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Ab Eodem 3. In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in cauſa ſua peccatum originale, & libertate Adami peccantis.

Ab Eodem 4. Tametſi detur ignorantia in-

vincibilis Juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.

Ab Eodem 9. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel Mundi: Si Dei, charitas Patris eſt; ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.

Ab Eodem 10. Neceſſe eſt, Infidelem in omni opere peccare.

Ab Eodem 11. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali ſine ullo reſpectu ad Deum.

Ab Eodem 12. Intentio qua quis deteſtatur malum, & proſequitur Bonum mere, ut Cœleſtem obtineat Gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

Ab Eodem 13. Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

Ab Eodem 15. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operetur.

Ab Eodem 17. Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

Ab INNOCENTIO XI. 6. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

Ab Eodem 14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

Ab Eodem 15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetra-

to, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſequutas.

Ab ALEXANDRO VIII. 6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.

Ab Eodem 7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

Ab Eodem 12. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ob id Epiſcoporum facultate. Alias vide in cap. de Abſolutione.

CAPUT X.

DE SATISFACTIONE.

SAtisfactio eſt actio compenſativa pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam peccando, vel ex ſe, ſi ſatisfactio ſit extraſacramentalis, vel virtute Sacramenti, ſi ſit Sacramentalis, conſiſtens in operibus pœnalibus, & ſanctis.

Hinc ſatisfactio eſt duplex, alia Sacramentalis, & alia extraſacramentalis. Prima eſt illa, quam imponit Confeſſarius, & acceptatur a Pœnitente in Foro Sacramentali; ſecunda eſt illa quam ſponte facit Pœnitens. Prima confert effectum ex opere operato; Secunda ex opere operantis, & ut ſecunda ſortiatur effectum ſuum, debet operans eſſe in gratia, ſecus eſſet opus mortuum, & non meritorium, ac per conſequens neque ſatisfactorium, utpote factum in morte animæ: Sacramentalis vero ſi

fieret in peccato lethali, non reportabit effe-ctum ſuum, niſi remoto obice, ideſt peccato, quod fuit impedimentum, & recedente fictio-ne per Confeſſionem, aut Contritionem, pro-ducit gratiam, & remittit pœnam, & hoc po-tiſſimum verum eſt in ſententia admittente, Sacramentum Pœnitentiæ poſſe dari validum, & informe.

Per ſe tenetur Confeſſarius imponere con-gruam pœnitentiam, & pœnitens illam acce-ptare, niſi excuſet impotentia.

Satisfactio prout acceptata a Pœnitente, eſt pars eſſentialis Sacramenti, ut vero exequuta, eſt pars integralis.

Pœnitens tenetur quamprimum commode poteſt adimplere pœnitentiam injunctam.

Opera, quæ imponuntur pro ſatisfactione ſunt triplicis differentiæ, nempe oratio, jeju-nium, & eleemoſyna.

Pœnitens adimplens Pœnitentiam in pec-cato lethali ſatisfacit obligationi impoſitæ a Confeſſario, nec tenetur eam repetere in ſtatu gratiæ, ſicut enim exiſtens in peccato ſatisfa-cit præcepto audiendi Sacrum, & præcepto je-junii, ita a pari.

Veruntamen effectum tunc non præſtat, ſed manet ſuſpenſus propter obicem, quo remoto per Contritionem, vel per Confeſſionem, illi-co habet eum præſtare.

Satisfactio Sacramentalis habet cauſare ex opere operato, prout ſcilicet eſt pars Sacramen-ti, remiſſionem pœnæ temporalis, & etiam augumentum gratiæ. Ratio primi eſt, quia ſa-tisfactio id cauſat, quod ſignificat: atqui ſigni-ficat remiſſionem pœnæ temporalis debitæ ipſi peccato, cum ſit quædam ejuſdem peccati pu-nitio; ergo eam cauſat, & quidem ex opere operato, ut eſt pars Sacramenti, eamque cau-

ſat

ſat inadæquate, ſi ſatisfactio ſit inadæquata, vel adæquate, ſi ſit adæquata.

Quod vero etiam cauſet augumentum gratiæ comprobatur ex Divo Thoma dicente, quod ſatisfactio producit gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione, ergo &c.

Pœnitentia non poteſt ſatisfieri per aliam perſonam, quia eſt actus perſonalis, ſicuti non poteſt quis ſatisfacere quo ad jejunium per aliam perſonam.

Qui autem tradit eleemoſynam faciendam per tertiam perſonam, adhuc intelligitur eſſe actus perſonalis tradentis, quia privat ſe tali bono temporali.

Tenetur pœnitens non ſolum ad ſubſtantiam operis injuncti, ſed etiam ad circumſtantias, quando iſtæ ſunt graves, ut recitare certas preces flexis genibus, vel coram Crucifixo, vel certo Altari.

Pœnitentia impoſita ab uno Confeſſario non poteſt commutari in aliam ab alio Confeſſario, inaudita confeſſione, ſed debet Pœnitens iterum exponere peccata, ut commutetur pœnitentia, & ratio eſt, quia jam factum fuit judicium: Et ſicuti Judex non poteſt mutare ſententiam incognita cauſa, ita a pari.

Propoſitiones damnatæ ad hoc caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 15. Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

Ab ALEXANDRO VIII. 18. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed

ipſa

ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio naturæ rei id ipſum quodammodo dictantis.

Ab Eodem 21. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

Ab Eodem 23. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

C A P U T XI.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ eſt Sacerdos, habens poteſtatem ordinis, & juriſdictionis.

Confeſſarii munera duo ſunt: Judicis, & Medici. Judicis ſcilicet ad ſolvendum, & ligandum Pœnitentem juxta ipſius diſpoſitionem, Medici vero præſtando remedia ſalutis ſpiritualia.

Conditiones, quæ requiruntur in Confeſſario ſunt poteſtas, ſcientia, bonitas, prudentia, & ſigillum.

Poteſtas eſt facultas ſpiritualis ligandi, & ſolvendi.

Duplex eſt iſta poteſtas. Alia eſt Ordinis, & alia Juriſdictionis. Prima traditur ab Epiſcopo in ipſa ordinatione dicente ſupra Sacerdotem jam Conſecratum: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis &c.* Secunda eſt facultas, quam Sacerdos habet ab Epiſcopo, conceſſa ad certas perſonas judicandas in foro conſcientiæ.

Poteſtas Juriſdictionis eſt duplex, alia eſt ordinaria, & alia delegata: ordinaria eſt an-

ne-

nexa officio habentis curam animarum. Hæc in primis datur in Papa habente Juriſdictionem Ordinariam in toto Terrarum Orbe, deinde in Archiepiſcopis etiam extra eorum Diœceſim tempore viſitationis. In Epiſcopis in eorum Diœceſi, & in Parochis quo ad ſuos Parochianos, ita quod Epiſcopus ſuum ſubditum extra propriam Diœceſim, & Parochus ſuum Parochianum extra propriam Parochiam poſſit abſolvere, ideſt miniſtrare ei Sacramentum Pœnitentiæ. Eſt etiam alia poteſtas, quæ dicitur ex conceſſione juris, & competit omnibus Prælatis etiam Regularibus, eligendi ſcilicet ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium tam in Diœceſi, aut Monaſterio, ſi ſit Regularis extra Clauſtra.

Poteſtas autem delegata eſt, quæ confertur prævio examine, & per litteras patentes, & qui habet hanc poteſtatem, non poteſt audire Confeſſionem ſui antiqui Pœnitentis extra Diœceſim illius Epiſcopi, a quo fuit approbatus, neque ſi illum reperiat in Domo Lauretana, vel alibi; bene vero Epiſcopus ſui ſubditi, & Parochus ſui Parochiani Confeſſionem poteſt excipere, ut jam dixi.

Simplex Sacerdos non habens poteſtatem delegatam in caſu neceſſitatis poteſt abſolvere pœnitentem, ut ſi pœnitens inveniretur in articulo, vel periculo mortis, in quo caſu quilibet Sacerdos poteſt eum abſolvere etiam a cenſuris, & a quibuſcumque caſibus reſervatis, quia ab Eccleſia conceditur in eo caſu plena facultas cuilibet Sacerdoti; quod tamen intelligi debet, ſi tunc non adſit copia Confeſſarii approbati, ne videlicet Pœnitens inabſolutus decedat ex hac vita; ſi autem adſit copia Confeſſarii approbati, aut proprii Parochi, tunc non poteſt Sacerdos ſimplex audire con-

feſ-

feſſionem, & abſolvere, quando tamen in eo Pœnitente nulla extet cauſa recuſandi Confeſſarium approbatum, aut proprium Parochum: poteſt autem, ſi cauſa extet, quia tunc intelligitur conceſſa facultas ab Eccleſia.

Nomine exiſtentis in articulo mortis venit ſtatus ille infirmitatis, in quo plurimi ordinarie decedunt. Nomine exiſtentis in periculo mortis venit ſtatus ille, in quo probabiliter, & prudenter timetur quod quis ſit proxime moriturus.

Item poteſt Pœnitens in articulo mortis non habens copiam Confeſſarii, confiteri peccata ſua, & abſolvi tum valide, tum licite a Sacerdote excommunicato etiam notorio, & vitando.

Item a Sacerdote in hæreſim lapſo, niſi tamen ſit periculum ſubverſionis ſui a Religione, & fide, vel niſi immineat ſcandalum publicum, & non credatur habere cum hæretico, alioquin ſi periculum eſſet ſubverſionis, vel ſcandali publici, non poſſet licite confiteri, nec propterea foret deſtitutus in caſu omni medio conſequendi gratiam, & ſalutem æternam, cum poſſet quantum in ſe eſt, adjutus Dei auxilio elicere actum perfectæ Contritionis, & ſic juſtificari extra Sacramentum, quem ſi non eliceret, hoc ſibi imputaretur, & perditio ſua eſſet ex ſe.

Confeſſio facta Confeſſario non approbato, aut ob crimen aliquod occultum ſuſpenſo, extra caſum neceſſitatis, eſt invalida defectu poteſtatis juriſdictionis eſſentialiter requiſitæ, itaut bona fides pœnitentis non excuſet, niſi adſit error communis, quatenus quis videt eum publice in Eccleſia expoſitum ad audiendas Confeſſiones, ſicuti cæteri Confeſſarii approbati, vel niſi adſit titulus coloratus, ac

præ-

præſumptus, eo quod ipſe ſit Parochus expoſitus ad Confeſſiones audiendas, ſed incapax eo tunc ob impedimentum occultum ignoratum; in his enim caſibus Eccleſia ſupplet juriſdictionem.

Regulares nequeunt Confeſſiones ſæcularium audire, niſi poſt Ordinarii approbationem. Et ſi fuerunt ſimpliciter, & abſolute approbati ab Ordinario, ſolum ex cauſa concernente Confeſſiones poſſunt ſuſpendi, & iterum examinari. Si autem fuerunt approbati tantum ad tempus aliquod determinatum, ſeu ad libitum Epiſcopi, poſſunt ſuſpendi, & iterum examinari ex quacunque cauſa rationabili.

Peccat mortaliter pœnitens, ſi data opera accedit ad Confeſſarium imperitum, quia male conſulit ſaluti animæ ſuæ, & quia eſt cauſa, quod Confeſſarius peccet defectu ſcientiæ. Excipit tamen caſum periculi mortis, & gravis neceſſitatis, & cum ipſe pœnitens eſt de ſe peritus, & cum in Parochia Rurali nullus eſt alius Confeſſarius ſufficienter inſtructus.

Si Confeſſarius in caſu difficili peccatum mortale reputaret veniale, vel e contra, Confeſſio adhuc eſſet valida, quia non tenetur Confeſſarius omnis culpæ gravitatem adeo diſtincte, & ita adamuſſim cognoſcere.

Pœnitens accedens ad Confeſſarium excommunicatum toleratum, vel quem ſcit eſſe in peccato lethali: ſi talis Confeſſarius ex officio tenetur Confeſſiones audire, ut eſt Parochus, non peccat, utitur enim jure ſuo, & in hoc caſu Sacerdos etiam licite adminiſtrat Sacramentum Pœnitentiæ, ſi prius eliciat actum Contritionis: ſi autem talis Confeſſarius non tenetur ex officio, Pœnitens tunc peccat contra charitatem, quia inducit illum ad peccandum,

ex-

excepto tamen caſu neceſſitatis, vel cum putat, ipſum eſſe contritum.

Sacerdos vocatus ad Confeſſiones audiendas, ſi ſit in peccato lethali, tenetur prius ſeipſum per Confeſſionem ponere in ſtatum gratiæ: quod ſi hoc commode non poſſit facere, tenetur elicere actum Contritionis, vel procurare dolorem, quem probabiliter putet eſſe dolorem Contritionis, in tali caſu ſic ſufficit Contritio putata, quæ ſufficit pro dandis aliis Sacramentis, excepta Euchariſtia, ad quod perfecta requiritur contritio, cum ſit de jure Divino, ſicut ait Divus Paulus. *Probet autem ſeipſum homo.*

Oretenus poſſet Epiſcopus dare facultatem audiendi Confeſſiones ſine litteris patentibus, quæ tamen regulariter dandæ ſunt juxta ſtylum Curiæ.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VIII. 20. Conſuetudo moderna quo ad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

Ab Eodem 22. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

C A P U T XII.

DE RESERVATIONE.

Reſervatio eſt reſtrictio juriſdictionis in Confeſſario, ne abſolvat aliquos caſus, ita

ita quod ſi temere, ac per auſum abſolveret, incidit ipſo facto in excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, & privatur officiis, & dignitatibus cum inhabilitate ad illas.

Dixi, ſi temere, ac per auſum, quia ſi per inadvertentiam, vel per ignorantiam invincibilem abſolveret, non incurreret in prædictas pœnas. In quo caſu advertens errorem, debet adire Superiorem, & petere ab eo facultatem abſolvendi, & poſtea expectare illum Pœnitentem, ſi denuo accedat, qui ſi redit, debet tunc Confeſſarius petita licentia loquendi cum ipſo de Confeſſione præterita, aperire reſervationem, & ſui inadvertentiam, & hinc inducere eum ad iterandam Confeſſionem caſus reſervati, & ad novum dolorem, ut abſolvat directe, cum fuerit ſolum abſolutus indirecte.

Sola peccata mortalia, & quidem completa, & conſummata ſubſunt reſervationi, niſi aliter in Decreto reſervationis exprimatur. Item ſola peccata certa, & non dubia, quia reſervatio cum ſit odioſa eſt reſtringenda, & ſtricte interpretanda, non autem extendenda ad caſus dubios, niſi ſint expreſſi, nec obſtat Decretum Clem. VIII. exprimens ſub reſervatione etiam caſus dubios; non obſtat, inquam, quia particula de caſibus dubiis fuit poſtmodum ab eodem Pontifice ablata per aliud Decretum moderativum prioris.

Confeſſarius, qui vere dubitat de reſervatione, utrum ſcilicet caſus ſit reſervatus nec ne, tunc tale peccatum habendum eſt pro non reſervato ob eandem rationem.

Si tamen Pœnitens eſſet certus de reſervato commiſſo, & dubitaret, an illud alias fuerit confeſſus, aut de eo oblitus, in tali caſu pro illius abſolutione teneretur Superiorem adire, quia poſſeſſio non ſtaret pro Pœnitente, ſed

pro

pro reſervatione, in quam conſtaret incidiſſe Pœnitentem. Hoc tamen intellige, quando talis Pœnitens generaliter non confiteretur peccata totius vitæ ſuæ. Cæterum ſi totius vitæ peccata confiteretur, in tali caſu reſervatio ceſſaret, & non teneretur adire Superiorem, ſed poſſet abſolvi a quocumque Confeſſario.

Confeſſarius, qui vere dubitat de ſua juriſdictione in ordine ad reſervata, non poteſt ab iis abſolvere, ne ſe exponat periculo impendendi abſolutionem invalidam, cum poſſit contingere, ut vere careat juriſdictione, & poteſtate abſolvendi.

Si tamen Confeſſarius habet opinionem probabilem de ſua juriſdictione, tunc poteſt abſolvere, etiam ſi adſit pro contraria parte opinio etiam probabilis. Et ratio eſt, quia in caſu opinionis probabilis, Eccleſia ſupplet juriſdictionem, eam conferendo, ſicut eandem ſupplet, & confert in caſu erroris communis cum titulo colorato.

Pœnitens non tenetur ſcire reſervationem, quia reſervatio non habet rationem pœnæ, ſed reſtrictionis juriſdictionis in Confeſſario. Unde Confeſſarius ipſe tenetur ſcire caſus reſervatos, a quibus non poteſt abſolvere, ne erret in abſolvendo defectu juriſdictionis.

Peccatum reſervatum in una Diœceſi, in alia, in qua reſervatum non eſt, poteſt abſolvi, dummodo Pœnitens non acceſſerit ad illam in fraudem reſervationis, tunc enim accedens in fraudem reſervationis non poteſt abſolvi, quia accederet indiſpoſitus.

Delegatus ad abſolvendum a reſervatis non poteſt alium delegare, eo quia delegatus non poteſt delegare.

Qui habens caſus reſervatos, confeſſus eſſet ſine dolore coram habente authoritatem abſol-

vendi a reſervatis, non tenetur iterum confiteri coram Confeſſario talem authoritatem habente, quia jam ſe præſentavit, & ſatisfecit obligationi ſuæ, quæ eſt, ut ſe præſentet, unde in caſu poterit confiteri, & abſolvi a ſimplici Confeſſario.

Ex Decreto Concilii Tridentini poteſt quilibet Sacerdos quemlibet Pœnitentem contritum in articulo, ſeu periculo mortis a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere, idque ex conceſſione Eccleſiæ, ne rigore reſervationis quis decedat ſine abſolutione cum periculo æternæ damnationis, cum hoc diſcrimine tamen inter abſolutionem a cenſuris, & abſolutionem a reſervatis, quod abſolutus in articulo mortis ab excommunicatione reſervata, tenetur, ſi convaleſcat, comparere coram Superiore ſub pœna reincidentiæ, ſi non comparuerit, ut habetur ex capite. *Eos, qui de ſententia excommunicationis in 6.* Hæc autem obligatio comparendi eſt ad effectum ſatisfaciendi Eccleſiæ, idque ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram, non quidem numero, cum a privatione ad habitum non detur regreſſus, ſed in ſimilem: itaut ſi negligeret, quamprimum commode poteſt, ſe præſentare negligentia proveniente ex contemptu, ſtatim reincideret.

E contra vero abſolutus in eo caſu a peccatis reſervatis non habentibus annexam cenſuram, non tenetur poſtea ſe præſentare coram Superiore, quia iſta obligatio ineſt ſolum quo ad cenſuram, ſi qua Pœnitens erat innodatus.

Extra caſum articuli, ſeu periculi mortis, qui haberet reſervata occulta, & eſſet in neceſſitate celebrandi, ſi Sacerdos, vel communicandi ſi Puella, vel quiſquam alius, nec poſſet tunc adireSuperiorem,vel alium facultatem

ha-

habentem abſolvendi, & neceſſitas eſſet talis, ut non poſſet abſque ſcandalo, vel periculo infamiæ omittere Celebrationem Miſſæ, vel Communionem: tunc poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi indirecte tantum a reſervatis, cum onere poſtea comparendi pro abſolutione directa, quia facultas, quæ ineſt cuilibet Confeſſario abſolvendi directe a quibuſvis peccatis, & cenſuris, eſt reſtricta ſolum ad articulum, ſeu periculum mortis; & ideo in aliis caſibus neceſſitatis extra mortis articulum non poteſt ſimplex Confeſſarius niſi indirecte abſolvere a reſervatis occultis, cum onere deinde in Pœnitente comparendi pro abſolutione directa.

Simplex Confeſſarius in caſu mortis, vel periculi ejuſdem poteſt abſolvere ab omnibus reſervatis, & etiam cenſuris ſine facultate petita a Superiore; a peccatis quidem directe ſine onere ea iterum confitendi, a cenſuris autem indirecte, & cum onere in Pœnitente ipſo ſe præſentandi, ut ſatisfaciat Eccleſiæ ſub pœna reincidentiæ, ſi non ſe præſentet, in eandem cenſuram, non quidem in illam numero, cum hæc fuerit ablata per abſolutionem, ſed in omnino ſimilem, itant ſi negligeret, quamprimium commode poteſt, ſe præſentare negligentia proveniente ex contemptu, ſtatim reincideret.

Poteſt etiam ſimplex Confeſſarius in aliis caſibus abſolvere a reſervatis, nempe in caſu extremæ neceſſitatis, & in caſu, quo quis non poteſt ſine ſcandalo omittere Communionem, nec pateat ei aditus adeundi Superiorem, tunc poteſt illum abſolvere directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, cum onere ea ſubijciendi Superiori; item in caſu, quo quis non poſſet ſine infamia relinquere Communionem,

ut

ut puella, quæ peccatum inceſtus habens commiſſum cum Fratre, accederet cum Matre ad ſimplicem Confeſſarium pro Confeſſione, & deinde pro Communione facienda, in tali caſu debet Confeſſarius abſolvere Puellam indirecte ab inceſtu, monendo ipſam, ut opportuno alio tempore redeat ad obtinendam abſolutionem directam ab inceſtu, procurata interim facultate a Superiore. Et ratio utriuſque eſt, quia cum reſervatio ſit de Jure humano, & Canonico, evitatio vero ſcandali, & infamiæ de Jure naturali; ſicut Jus naturale prævalet Juri humano, ita &c.

In occaſione, qua Pœnitens exponat caſus reſervatos, itaut poſſit adire Superiorem, Confeſſarius cum charitate eum moneat de reſervatione, & hortetur ad Superiorem adeundum: ſi autem caſus ſit ex gravioribus, a quo nec Epiſcopus poſſit abſolvere, eum juvet ſcribendo ad Sacram Pœnitentiariam Romæ, & faciat quantum poteſt, ut animam illius lucretur.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VIII. 12. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ob id Epiſcoporum facultate. Alias vide in ſeq. cap. de Abſolutione.

CAPUT XIII.

DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI.

FOrma abſolutionis Sacramentalis conſiſtit in his verbis. *Ego te abſolvo a peccatis tuis,* ita

ita quod ſalvetur eſſentia formæ in ly *abſolvo te*:ly autem *a peccatis tuis* eſt tantum de neceſſitate præcepti. Unde Confeſſarius ſcienter omittens ly *a peccatis tuis* conficeret Sacramentum, ſed peccaret mortaliter, tum ratione periculi nullitatis Sacramenti, tum quia faceret contra praxim Eccleſiæ.

Nec obſtat, quod illa verba *abſolvo te* ſint indifferentia, cum poſſint ſignificare abſolutionem a vinculis materialibus.

Non obſtat, inquam, quia licet hoc ſit verum ſumpta in abſtracto;tamen ſumpta in concreto, & in circumſtantiis, ſignificant abſolutionem a vinculis peccatorum, & attentis circumſtantiis ſunt determinata ad peccatorum abſolutionem.

Si auditis peccatis, Confeſſarius ſuſpendat abſolutionem ad aliquot dies, ut videlicet Pœnitens prius reſtituat ablatum,vel ut relinquat occaſionem proximam peccandi, tenetur Pœnitens ſaltem in confuſo repetere Confeſſionem præteritam, ut ſtatus Pœnitentis ad memoriam Confeſſarii revocetur, antequam abſolvatur.

Si Pœnitens ob peccata reſervata fuit a Confeſſario dimiſſus, & obtenta facultate a Superiore redeat ad eundem Confeſſarium, tenetur repetere Confeſſionem, ut abſolvatur.

Abſolutio a cenſuris debet ſemper præcedere abſolutionem a peccatis, quia Pœnitens non eſt capax abſolutionis peccatorum, niſi prius ſit ſolutus a cenſuris, cum effectus cenſuræ ſit privare participatione paſſiva Sacramentorum.

Si tamen Confeſſarius audita Confeſſione cenſurarum, & peccatorum, antequam abſolvat a peccatis, omitteret ex inadvertentia abſolutionem a cenſuris, & diceret ſolum: *abſol-*

abſolvo te a peccatis tuis, implicite intelligeretur abſolvere etiam a cenſuris, dummodo ſupponatur Confeſſarius habere authoritatem, intelligitur enim abſolvere quo ad omnia, quæ poteſt.

Si autem non habuerit authoritatem abſolvendi a cenſuris, & Pœnitens bona fide omitteret confiteri cenſuras, tunc Pœnitens erit per accidens indirecte abſolutus a peccatis habentibus annexam cenſuram, remanentibus cenſuris. Gratia enim Sanctificans eſt compoſſibilis cum cenſuris, ut patet in illo qui elicit actum Contritionis cum animo petendi a Superiore abſolutionem, & Eccleſiæ ſatisfactionem.

Abſolutio ſub conditione de præſenti, vel de præterito, poteſt dari, non autem ſub conditione de futuro. Ratio hæc eſt, quia effectus gratiæ ſuſpendi non poteſt, ſi Pœnitens ſit de præſenti diſpoſitus.

Sine juſta cauſa non poteſt Confeſſarius denegare abſolutionem Pœnitenti, & ſi deneget, peccat mortaliter; cum juſta cauſa & poteſt, & debet denegare. Primo cum videt Pœnitentem potentem amovere, & nunquam amoviſſe occaſiones proximas, vel potentem reſtituere, nunquam reſtituiſſe rem furto ablatam: Secundo cum videt frequentem relapſum Pœnitentis in eadem peccata ſine ulla emendatione.

Quando, & quomodo abſolvi debeat moribundus, qui loqui non poſſit. Reſpondeo, ſi ſigna Pœnitentiæ dedit, ut percutiendo pectus, ſtringendo manum Sacerdotis, oſculando Crucifixum, vel ſimilia, Sacerdos poteſt, & debet eum abſolvere ſine ulla conditione. Si autem non poterit dare aliqua ſigna doloris, ac veniæ a Deo petendæ, eo quod fuerit ſubito ſenſibus deſtitutus, danda nihilominus erit ab-

ſolutio, ſed ſub conditione de præſenti; ſcilicet: *ſi es diſpoſitus, Ego te abſolvo &c.*, maxime ſi ſupponatur bene, & Chriſtiane vixiſſe.

Si autem quis dum actu lethaliter peccat, ſenſibus illico deſtituatur; tunc præſumi non poſſet attritus, nec per conſequens abſolvendus; mitius tamen cum Tamburino dicendum, nec huic abſolutionem ſub conditione fore denegandam, quia contingere poteſt, quod non ita deſtituatur ſenſibus, ut vicinus morti non reflectat ad ſalutem animæ ſuæ, ad quam per attritionem ſe diſponat, quia ex una parte in extrema neceſſitate conſulitur de modo ad ſalutem neceſſario, ex alia per conditionem de præſenti providetur reverentiæ Sacramenti.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 3. Senteutia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt; Anno 1629. 18. Julii in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

Ab eodem 4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

Ab INNOCENTIO XI. 59. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis poteſt contingere verbi gratia in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

Ab eodem 60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut

aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec eſt differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

Ab Eodem 61. Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin immo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

Ab Eodem 64. Abſolutionis capax eſt homo, quamvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ab ALEXANDRO VIII. 19. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.

CAPUT XIV.

DE SIGILLO.

Sigillum eſt obligatio ſtrictiſſima in Confeſſario, tacendi ea, quæ audivit in Confeſſione.

Sigillum duplex eſt: aliud Sacramentale, obligans triplici jure, Divino, naturali, & Canonico, quod in nullo caſu poteſt violari. Aliud tantum naturale, quod in aliquibus caſibus revelari poteſt, & debet, puta ob bonum publicum, in rebellione, & ſimilibus.

Non poteſt Confeſſarius revelare peccata in Confeſſione audita neque directe, neque indirecte, neque in vita, neque poſt mortem Pœnitentis.

Peccata mortalia tam in ſpecie, quam in genere cadunt ſub Sigillo. Peccata vero venialia ſolum in ſpecie, non in genere ca-

dunt ſub Sigillo. Unde dicere ; iſte Pœnitens mihi confeſſus eſt peccata venialia, non deſcendendo ad aliquam ſpeciem, non erit fractio Sigilli, nam qui accedit ad Confeſſionem, ad minus exponit pro materia abſolutionis peccata venialia.

Cadunt etiam ſub Sigillo defectus naturales cogniti in confeſſione, qui ſi detegerentur, valde erubeſceret Pœnitens. Item Pœnitentia gravis injuncta, dilatio abſolutionis, ſeu negatio ejuſdem, & quidquid, ſi reveletur, minuere poteſt bonam famam Pœnitentis, & reddere Confeſſionem odioſam.

Hinc ſi quis habens Confeſſarium proprium, ad alium ſecreto accedat ad confitendum, non poteſt hic alius Confeſſarius revelare, talem Pœnitentem ad ipſum acceſſiſſe pro Confeſſione, quia Pœnitens eſſet invitus, cum facile ſuſpicari quis poſſet malum ſtatum ipſius Pœnitentis.

Neque etiam licitum eſt generaliter loqui de vitiis alicujus parvæ Parochiæ, dicendo ver. gr. In Iſta parva Parochia multum regnat vitium luxuriæ, hoc enim eſt offendere graviter Pœnitentes, qui ad ipſum Confeſſarium accedunt, & facile quis devenire poſſet in cognitionem illorum, qui tali vitio laborant.

Non poſſunt duo Confeſſarii, qui Pœnitentem de iiſdem peccatis ſe accuſantem audierunt, colloqui ad invicem de auditis, quia frangerent Sigillum.

Obligatio ſervandi perpetuo Sigillum Confeſſionis oritur ex Confeſſione Sacramentali ſive valide, ſive invalide facta, dummodo peccata ſint dicta in ordine ad claves, ſeu in ordine ad abſolutionem Sacramentalem habendam.

Hinc ſi Pœnitens conſulat Confeſſarium de mo-

modo explicandi aliquod peccatum in Confeſſione, hic tenetur ad Sigillum. Inſuper tenetur, ſi quærat, an hoc ſit confitendum, aut reticendum.

Si autem Penitens narret aliqua ſua negotia occulta, proteſtando, ſe talia confidere ſub Sigillo Confeſſionis, quis tenebitur ea reticere quidem ſub ſecreto naturali, non ſub Sigillo Sacramentali; & eodem modo tenebitur Sacerdos, quandocunque quis ei narret aliqua ſub ſecreto ſine animo obtinendi abſolutionem, quia hæc non eſſent accepta in Confeſſione, nec in ordine ad claves, tenebitur, inquam, reticere ſub ſecreto naturali; taliter ut, ſi revelaret, peccaret graviter, ſi talis revelatio afferret aliquod grave damnum, aut gravem diſplicentiam ipſi narranti.

Univerſaliter enim loquendo omnia, quæ dicuntur in Confeſſione Sacramentali, cadunt ſub Sigillo, quæ vero extra Confeſſionem, nec in ordine ad claves, non cadunt.

Confeſſarius interrogatus de auditis in Confeſſione, poteſt ſine nota mendacii, immo tenetur reſpondere, ſe neſcire quidquam, quia reſpondens ſe neſcire, verum dicit, quia ut Homo vere neſcit, & ſi ſcit, ſcit ut Deus, cujus vicem gerit, & ſcit ſcientia inrevelabili, non revelabili; formaliter enim mentiri eſt ire contra mentem, ſeu ſcientiam revelabilem, non autem contra mentem, ſeu ſcientiam inrevelabilem.

Et ſi obligaretur cum juramento a Judice ad aperiendum crimen auditum in Confeſſione, teneretur non jurare, & dicere Judici, ſe non poſſe loqui de auditis in Confeſſione, etiam ſi immineat Sacerdoti grave aliquod damnum, etiam periculum mortis, potius enim debet pati, & mori, quam relevare Confeſſionem,

quia hoc eſſet pati, & mori propter juſtitiam uti contigit S. Joanni Nepomuceno Pragenſi Canonico.

Non poteſt Confeſſarius ſine licentia Pœnitentis colloqui cum ipſo de auditis in Confeſſione, quia hoc eſſet ipſum confundere; Si autem Pœnitens prius ipſe loquatur ad petendum conſilium, tunc poterit de iis loqui cum eo, cum Pœnitens cenſeatur tunc ipſi dare implicite ſaltem facultatem loquendi.

Confeſſarii ex ſcientia habita in Confeſſione non poſſunt monere, neque ſuper generalia Matronas, Dominos, Gubernatores, Judices, Superiores, ac Abbatiſſas, ut melius invigilent &c. quia uti ſcientia Confeſſionis eſt ſemper fractio Sigilli, reddens Confeſſionem odioſam.

Univerſaliter enim loquendo non poſſunt Confeſſarii uti ſcientia Confeſſionis etiam ad vitandum propriam mortem, quando nullus adhiberi poſſit prætextus removens ſuſpicionem revelationis Confeſſionis. Si quis autem hujuſmodi prætextus inveniri poſſit, tunc vult Lugus, poſſe Confeſſarium prætextum hujuſmodi licite adhibere, ut vitæ ſuæ provideat ſine violatione Sigilli.

Ad Sigillum tenetur primo Confeſſarius, Interpres, & quicunque alius fortuito audiens Confeſſionem: item ille, qui chartam invenit continentem peccata ſcripta in ordine ad Confeſſionem: ille etiam, a quo petitur conſilium peccati exprimendi in confeſſione, ac denique Superior, ad quem acceditur pro licentia a reſervatis: omnes iſti tenentur ex fidelitate, ex religione, & præcepto Divino, Naturali, & Eccleſiaſtico.

CA-

CAPUT XV.

DE EXTREMA UNCTIONE.

EXtrema Unctio eſt Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad ſalutem animæ, ac etiam corporis, conferendum ægroto graviter periclitanti, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

Materia remota hujus Sacramenti eſt oleum benedictum ab Epiſcopo, ſingulis annis renovandum, veteri combuſto, ita tamen ut Parochus poſſit uti veteri, nondum habito novo, in caſu quo non potuiſſet accedere vel per ſe, vel per alium ad novum recipiendum.

Materia proxima eſt ipſa unctio quinque ſenſuum corporis, qui ſunt viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus. Aliæ vero unctiones, ſcilicet pedum, & renum non ſunt de neceſſitate Sacramenti, & ſic poſſunt omitti, & præcipue illa renum in Fœminis omitti debet ad honeſtatem.

Adverte, quod ſi ſenſus eſſent mutilati, ungendæ eſſent partes vicinæ, eo quia ſi non peccavit per actus externos defectu ſenſus mutilati, peccare potuit per potentias internas.

Adverte inſuper, non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod iſtæ unctiones fiant per modum Crucis.

Item adverte, quod in caſu neceſſitatis, puta ſi ægrotus periclitatur mori antequam perficiantur omnes, & ſingulæ unctiones, poteſt perfici hoc Sacramentum per unicam unctionem in fronte, vel capite, in qua reſidet ratio, & continentur omnes ſenſus, exprimendo ſub unica forma omnes quinque ſenſus.

Forma hujus Sacramenti ſunt verba prolata a Sacerdote, dum dicit: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum* (dum inunguntur oculi, *quidquid per auditum*, dum unguntur aures, & ſic de ſingulis) *deliquiſti*. Amen.

Vitanda eſt additio, detractio, & mutatio verborum formæ, in qua ſi fiat mutatio aliqua ſubſtantialis, Sacramentum erit irritum.

Forma hujus Sacramenti eſt, & eſſe debet deprecatoria. Hinc ſi mutaretur in abſolutam, Sacramentum eſſet invalidum. Si autem loco dicendi *indulgeat*, quis dicat, *parcat*, *ſeu condonet*, *aut remittat*, cum hæc ſint deprecatoria, Sacramentum erit validum, ut volunt aliqui.

Notandum, prolationem verborum, & unctionem debere eſſe ſimul moraliter ſaltem, itaut non prius finiatur forma, antequam incipiat unctio, nec prius finiatur unctio, antequam incipiat forma.

Subjectum capax hujus Sacramenti eſt homo baptizatus conſtitutus in proximo, vel ſaltem probabili periculo mortis ex infirmitate, qui ſaltem aliquo tempore peccare potuerit, ut requiritur ad verificandam formam Sacramenti.

Hinc hoc Sacramentum miniſtrari non debet niſi infirmo, de cujus morte timetur.

Neque debet miniſtrari pueris ante uſum rationis, quia toto tempore præcedente uſum rationis ſunt incapaces peccandi defectu malitiæ, ſeu cognitionis; neque amentibus a nativitate, quia iſti ob carentiam uſus rationis æquiparantur infantibus.

Nec item miniſtrandum Mulieribus parituris,

ris, ſi tantum ordinaria partus moleſtia laborent, ſecus autem eſt miniſtrandum, ſi aliquo letali morbo in partu corripiantur.

Nec denique miniſtrandum proficiſcentibus ad Bellum; Nec Navigantibus, nec iis, qui ultimo ſupplicio ſunt damnati, cum iſti non ſint conſtituti in vitæ diſcrimine ex infirmitate.

Miniſter hujus Sacramenti eſt Parochus, & quilibet Sacerdos de licentia Parochi.

Religioſi Prælati tantum ſuis ſubditis licite miniſtrare poſſunt. At ſi aliquis ſine licentia Parochorum auderet miniſtrare, non ſolum peccaret letaliter, ſed incideret in excommunicationem ipſo facto; non autem ſi ſervis in eorum Monaſterio degentibus graviter ægrotantibus.

Quando Parochus non poteſt adeſſe, quilibet Sacerdos poterit miniſtrare; in caſu enim talis neceſſitatis non cenſetur Parochus eſſe rationabiliter invitus.

Si Parochus non poſſit ipſe miniſtrare, poteſt delegare ad hoc Sacramentum miniſtrandum etiam Sacerdotem, quem ſcit eſſe improbum, quando alium, qui ſit probus, habere non poſſit in promptu, nec in hoc diceretur Parochus cooperari ejus peccato, quia actio illa, ad quam delegat, de ſe eſt bona, & poteſt ſine letali exerceri, ſi velit Sacerdos improbus reſipiſcere, unde ſi male exercet, ſibi debet imputare.

Non poteſt tamen Parochus delegare ſuſpenſum, aut excommunicatum, quia hoc Sacramentum non eſt tantæ neceſſitatis, ut ab iſtis debeat adminiſtrari.

Ægrotus in extremo vitæ conſtitutus, ſi non ſuſcipit hoc Sacramentum, potens illud ſuſcipere, peccat mortaliter ratione ſcandali, quod

vix evitari poteſt, & quando etiam omitteret, quin ſcandalum ſequatur, adhuc peccaret graviter contra charitatem ſui, privando ſe hoc Sacramento adeo ſalubri ad augmentum gratiæ,ad tollendas reliquias peccatorum, & ad vincendas tentationes diaboli maxime urgentis in eo extremo.

Hinc Domeſtici, & ii, qui curam habent infirmi, tenentur ſub mortali admonere Parochum, ut miniſtret.

Parochus vocatus, ſi ex negligentia differt miniſtrare hoc Sacramentum ab Infirmo petitum, peccat mortaliter, quia deficit in re gravi, nempe in cura animarum ſibi commiſſa, ad quam tenetur ex officio.

Veruntamen cum periculo propriæ vitæ regulariter non tenetur miniſtrare, ut docet Diana, eo quod hoc Sacramentum non ſit tantæ neceſſitatis. Tenetur tamen, ſi ægrotus nullum aliud Sacramentum ſuſcipere poſſit, quia hoc eſt remedium unicum ſalutis in tali caſu.

Poteſt hoc Sacramentum conferri iis, qui uſum rationis amiſerunt, ſeu inciderunt in amentiam, etiam ſi illud non petierint, dummodo ante amentiam Chriſtiane vixerint; quilibet enim cenſeri debet diſpoſitus ad illud ſuſcipiendum, niſi conſtet manifeſte contrarium.

Quare ſi quis ſit Peccator publicus, & ſubito morbo correptus; & ſenſibus deſtitutus, nullum ſignum pœnitentiæ dederit, non eſt illi miniſtrandum.

Si quis poſt ſuſceptum Viaticum violentia morbi agitatus blaſphemavit, & inde rationis uſum amiſit: ſi Parochus prudenter judicare poteſt, quod blaſphemiæ illæ ex phreneſi, aut vi morbi prolatæ ſint, adhuc poteſt illi miniſtrare Sacramentum unctionis, quia pro bono haben-

habendus eſt, qui ſufficienti ratione non probatur malus; cum ergo ſufficiens ratio morbi indicare poſſit, eum ex phreneſi talia dixiſſe, negandum non eſt illi hoc Sacramentum extremum.

Neque pariter negandum eſt ei, qui poſtquam amiſit uſum rationis, ob vim morbi dicit, ſe nolle hoc Sacramentum, quod tamen peteret, ſi liberum uſum rationis haberet.

Ultimo miniſtrandum eſt Pueris judicatis prudenter capacibus peccandi, & Sacramenti pœnitentiæ, etiam ſi nondum cenſeantur capaces Viatici, ad quod requiritur major cognitio, & diſpoſitio.

Unico verbo: illa ætas eſt capax extremæ unctionis, quæ eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ.

Diſpoſitiones, quæ requiruntur ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum, ex parte animæ ſunt, quod quis ſit baptizatus, non excommunicatus, quod expreſſe vel tacite ipſum petat, ac intendat, & præcipue doleat de peccatis ſuis, & Viaticum, ſi potuit, ſumpſerit.

Ex parte autem corporis requiritur, quod ex infirmitate ſit conſtitutus in probabili periculo mortis.

Ubi adverto, quod in eadem infirmitate non debet iterari, niſi infirmitas mutaverit ſtatum, & Infirmus conſtituatur in novo periculo mortis, ut dictum fuit de Viatico.

Si Parochus perventus ad Infirmum cum oleo Sancto, & dubitet jam eſſe expiratum, ſi probabiliter etiam exiſtimet poſſe eſſe adhuc vivum, poterit ſub conditione miniſtrare; nam conditio appoſita tollit irreverentiam Sacramenti. Si vero in ipſa adminiſtratione moriatur, ut certo conſtet de ejus morte, Sacerdos debet ſtatim ceſſare.

Ritus ordinarie adhibendus eſt, qui habetur in Rituali Romano, quem Parochus, vel Sacerdos tenetur ſcire, ut recte adminiſtret.

CAPUT XVI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ORdo eſt Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, in quo traditur poteſtas ſpiritualis ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium perficiendum, vel immediate in ipſo ordine Sacerdotali, vel mediate in aliis ordinibus inferioribus, plus vel minus juxta cujuſque ordinis gradum, & officium.

Septem ſunt ordines, quatuor minores, videlicet, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolytatus: Et tres majores, videlicet, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

Primi quatuor dicuntur minores, eo quod Clerici iis initiati, non aſſiſtunt immediate Altari, nec inſerviunt immediate Sacerdoti ſolemniter celebranti.

Tres autem alii dicuntur majores, eo quia iſti immediatius juxta proprium officium inſerviunt Sacrificio Miſſę, & iſti dicuntur etiam ordines Sacri, quia Clerici iis initiati, efficiuntur Deo Sacrati per votum caſtitatis, quod non evenit in ordinibus minoribus, qui proinde non dicuntur Sacri.

Dices: quilibet ordo confertur per actionem ſacram, ergo quilibet ordo eſt ſacer, ſicque &c. Sed Contra. Conc. antec. diſting. conſequens, ergo quilibet ordo eſt ſacer, ſumpto Sacro prout ſignificat actionem ſacram, qua confertur ordo, concedo; quilibet ordo eſt ſacer, ſumpto

pto Sacro prout ſignificat Perſonam Deo ſacratam per votum caſtitatis, nego conſequentiam. Reſponſio patet ex terminis.

Prima Tonſura non eſt ordo, ſed eſt diſpoſitio ad ordines. Tonſurati, quia ſunt deputati ad Eccleſiam, duplici gaudent privilegio, nempe Fori, & Canonis. Privilegium Fori eſt, quod Clericus pro delicto aliquo non poſſit citari, neque conveniri ad Forum ſæculare, ſed ſolum ad Eccleſiaſticum. Privilegium Canonis, quod ſi quis ſuadente Diabolo percutiat Clericum, eſt ipſo facto excommunicatus, & inſuper per privilegium Canonis fit Clericus capax Beneficiorum Eccleſiæ, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Materia remota Sacramenti Ordinis eſt inſtrumentum, quod tangendum traditur in ipſa ordinatione. Materia vero proxima eſt ipſa actualis traditio, & tactio inſtrumenti, quod quidem phyſice tangi debet, nec ſufficit ad validitatem ordinis purus contactus moralis.

Forma vero ſunt verba prolata ab Epiſcopo: *Accipe poteſtatem*, *&c.*

Miniſter ordinarius Sacramenti ordinis eſt ſolus Epiſcopus, qui quamvis eſſet excommunicatus, ſuſpenſus, hæreticus, aut degradatus, poſſet valide, non tamen licite ordinare.

Poteſtas enim ordinandi eſt annexa charactéri Epiſcopali, qui indelebilis eſt.

Poſſunt Abbates habentes jus Mitræ, & Baculi Paſtoralis, conferre primam Tonſuram, & quatuor minores ſuis ſubditis Regularibus profeſſis, non autem Sæcularibus, niſi de conſenſu ſui Epiſcopi, a quo habeant litteras dimiſſoriales.

Poteſt Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis committere ſimplici Sacerdoti conferre primam Tonſuram, & quatuor minores, non

ta-

tamen majores, ad quos requiritur poteſtas Epiſcopalis eſſentialiter, ita ut non poſſit, niſi Epiſcopus conferre Ordines Sacros.

Ad validam ordinum ſuſceptionem duo indiſpenſabiliter requiruntur. Primo quod quis baptizatus ſit, non ſolum quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, ſed etiam quia ordo continet in ſe peculiarem præeminentiæ gradum in Eccleſia Dei, quem nemo poteſt legitime aſſequi, niſi prius ſit incorporatus ipſi Eccleſiæ per Baptiſmum. Secundo requiritur, quod ſit maſculus, nam de fide eſt, feminas eſſe incapaces de Jure Divino, alioquin ſi feminæ ex Chriſti inſtitutione non eſſent incapaces, non potuiſſet Eccleſia juſte excludere ab Ordinibus totum ſextum femineum, ſed Eccleſia ſemper eas excluſit, etiam ſi plures magna fulſerint ſanctitate. Et conſtat etiam in lege veteri, quod Deus ſolos viros, nunquam feminas elegerit in Sacerdotes, & Miniſtros Altaris, ergo ſignum evidens, quod fœminæ ſunt incapaces de Jure Divino. Sic congruum erat, quia qui ordinatur, conſtituitur in gradu præeminentiæ inter ipſos viros, ſed mulieres ſunt viris ſubditæ; dictum eſt enim iis a Deo Geneſis 3. *ſub viri poteſtate eris*, *& ipſe dominabitur tui*, ergo conveniens fuit, ut eſſent incapaces Sacramenti Ordinis, conſequenter etiam primæ Tonſuræ, quia eodem jure, quo quis eſt incapax Sacramenti Ordinis, eſt etiam incapax diſpoſitionis ad ipſum, ut eſt prima Tonſura.

Præter maſculinitatem, & Baptiſmum nihil aliud eſſentialiter exigitur ad validam ordinum ſuſceptionem, adeo ut hoc ipſo, quod quis eſt maſculus baptizatus, etiam ſi Infans, & non habens uſum rationis, ſit capax Sacramenti Ordinis, ut tenet comunis Theologorum

ſen-

ſententia, paucis adverſantibus. Et ratio eſt, quia illa Sacramenta, quæ nullum actum proprium ſuſcipientis involvunt eſſentialiter, nec conſtitutive, nec præſuppoſitive, valide conferuntur non habentibus uſum rationis, ut patet de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia, ſed Sacramentum Ordinis nec conſtituitur, neque eſſentialiter præſupponit ullum ſuſcipientis actum, ergo ſicut Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia valide conferri poſſunt infanti, ita etiam Sacramentum Ordinis.

E contra vero, quia Sacramentum Pœnitentiæ involvit actus Pœnitentis tamquam eſſentiale ſui conſtitutivum, Extrema unctio, quia eſſentialiter præſupponit, & exprimit peccata ægrotantis commiſſa, & Matrimonium, quia involvit eſſentialiter conſenſum liberum contrahentium, ideo horum eſt incapax Infans.

Dices primo: ad validam Ordinis ſuſceptionem requiritur eſſentialiter proprius ſuſcipientis actus; ergo ratio allata nulla eſt. Prob. ant. requiritur eſſentialiter contactus phyſicus inſtrumenti, quod Epiſcopus porrigit ipſi ordinando tangendum, ergo requiritur proprius ſuſcipientis actus. Sed contra, nego antec. ad prob. diſt. antec. ſed materialis, concedo antec. requiritur eſſentialiter contactus phyſicus inſtrumenti, ſed formalis, ac humano modo factus per voluntariam actionem tangentis, & recipientis, nego antec. & conſequentiam. Primum enim ſufficit ad validitatem Ordinis, non autem eſt de eſſentia ſecundum.

Dices ſecundo: Ordines Sacri inducunt onus cœlibatus, ſed ad hoc onus ſubeundum requiritur conſenſus proprius ipſius accipientis, qui nullus dari poteſt in Parvulis ante uſum rationis, ergo Parvuli ſaltem ſunt incapaces Ordinum

num Sacrorum. Sed contra: diſt. maj., Ordines Sacri inducunt &c. ſi ſponte, & voluntarie ſuſcipiantur, concedo; ſecus, nego, Quando quis ſponte, & voluntarie ſuſcipit Ordines Sacros, utique ſubit onus cœlibatus, quia eo ipſo ſe ſubjicit oneribus Ordinum Sacrorum a jure Canonico inductis, ſecus autem, ſi ſecus. Unde Parvulus Sacris Ordinibus initiatus ad nihil teneretur perinde, ac ſi ordinatus non fuiſſet, & perventus ad uſum rationis, adhuc eſſet capax Matrimonium contrahendi, quæ eſt ſententia probabilior inter Theologos.

Hinc Sacramentum Ordinis per ſe, & ex conceptu ſuo nihil aliud inducit in ſuſcipiente, quam poteſtatem ſpiritualem, ac gratiam, quod non eſt onus, ſed purus favor: purus autem favor, ut inducatur, non poſtulat conſenſum formalem, & elicitum ſuſcipientis, quia puro favori ipſa natura humana ſufficienter ex ſe præciſe conſentit. Nihil igitur obſtat, quominus Infanti baptizato conferri valide poſſit Sacramentum Ordinis.

Quod hactenus dictum eſt de Infantibus, etiam valet de perpetuo amentibus, quia iſti æquiparantur Infantibus. Secus vero dicendum, ſi interdum habuerint uſum rationis, & poſitive diſſenſerint ordines ſuſcipere, quia de ratione gaudentis libero arbitrio eſt, ut non ſubeat variationem ſtatus independenter a ſuo libero conſenſu interdum elicito, & nunquam retractato.

Utrum autem Parvuli ante uſum rationis ſint etiam capaces Epiſcopatus.

Pro reſolutione quæſiti hujus. Duo ſunt conſideranda in Epiſcopatu. Unum eſt poteſtas ordinis Epiſcopalis collata ex vi Sacramenti ſecundum ſe præciſe, qualis eſt poteſtas conferendi ordines, confirmandi, benedicendi Chriſ-

ma,

ma, & Oleum, & quo ad hoc utique conferri valide poteſt Infanti, ſicut alii ordines ob eandem rationem.

Alterum eſt juriſdictio, cura Paſtoralis, & Matrimonium ſpirituale cum Eccleſia, cum onere eam gubernandi, & quo ad hoc certe conferri valide nequit non habenti uſum rationis, quia ejuſmodi onus imponi, ac ſuſcipi nullatenus poteſt abſque conſenſu libero ſuſcipientis, & hoc poſterius ſolum eſt, quod intendunt Divus Thomas, & Divus Bonaventura, dum negant, Epiſcopatum conferri valide poſſe Infanti.

Nec enim hæc duo ſunt eſſentialiter connexa, cum poſſit dari unum ſine altero, ut patet in Epiſcopis titularibus, qui ſunt præditi poteſtate ordinis Epiſcopalis ſine juriſdictione, & cura Paſtorali, & abſque onere alicujus Eccleſiæ gubernandæ, inde nihil obſtat &c.

Et hæc quo ad validam. Quantum vero ad licitam ordinum ſuſceptionem, dico, requiri ſtatum gratiæ requiſitum ad omnia Sacramenta vivorum, Scientiam exercitio cujuſque ordinis congruentem, Probitatem morum, qualis decet Perſonam Eccleſiaſticam; Ætatem a Sacris Canonibus præſcriptam: Natalia legitima, & quod non ſit Bigamus, & inſuper quod ſuſceperit Sacramentum Confirmationis, ac denique quod habeat intentionem ſaltem virtualem ſuſcipiendi ordines, aut habitualem.

Ætas a Sacris Canonibus præſcripta ad primam Tonſuram, & ad quatuor minores, eſt ſeptennium completum. Ad Subdiaconatum Annus vigeſimus ſecundus incœptus. Ad Diaconatum Annus vigeſimus tertius incœptus, Et ad Presbyteratum Annus vigeſimus quintus incœptus, quia in favorabilibus, quando aliter non ſit expreſſum, atque ſtatutum, An-

nus inceptus habetur pro completo. Ad Epiſcopatum vero requiritur Annus trigeſimus completus juxta conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit; *cum in cunctis*; ubi habetur, nullus Epiſcopus eligatur, niſi qui jam trigeſimum ætatis annum tetigerit; & ad curam Animarum Annus vigeſimus quintus completus; ad Beneficium ſine Animarum cura Annus XIV.

Si quis eſſet per ſaltum promotus, ideſt ſi quis ordinaretur Sacerdos antequam eſſet ordinatus Diaconus, valide ordinaretur, quia Ordo ſuperior continet in ſe eminenter ordines inferiores, ergo ſubſiſtit per ſe, & eſſentialiter, etiam aliis non præſuſceptis. Illicita tamen eſſet collatio, & ſuſceptio ordinis inferioris, cum Sacri Canones id expreſſe prohibeant; ordinatus vero per ſaltum tenetur ſuſcipere ordines non ſuſceptos, nec poteſt exercere ſuſceptum licite, & ſine peccato, & incurreret irregularitatem.

Veruntamen Epiſcopatus prærequirit eſſentialiter in ſubjecto Ordinem Sacerdotalem ſuſceptum; itaut collatus non Sacerdoti eſſet nullus. Quia poteſtas ordinis Epiſcopalis ſecundum ſe ſumpta, quamvis non ſit inferior poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, non poteſt tamen illa continere eminenter iſtam; ergo iſta non præſuppoſita nequit illa ſubſiſtere, ſicque &c.

Utrum autem ſi quis eſſet per ſaltum ordinatus Sacerdos, & deinde ordinaretur Epiſcopus, quin ſuſceperit Diaconatum, Subdiaconatum, & alios ordines minores, utrum ſcilicet poſſet valide conferre eos ordines, quibus caret.

Reſpondetur affirmative cum communi ſententia, quia poteſtas conferendi ordines eſt Epiſcopalis, ſed iſte eſſet vere Epiſcopus,

&

& haberet poteſtatem Epiſcopalem, ergo &c.

Nec obſtat illud tritum, Nemo dat quod non habet, quia licet ordines inferiores non haberet formaliter, haberet illos eminenter, & ideo valide eos conferret. Peccaret tamen lethaliter, quia Sacri Canones prohibent ordinatum per ſaltum exercere ordinem ſuperiorem, donec receperit inferiorem.

Quæres, an quilibet ordo ſit Sacramentum.

Reſpondeo affirmative,nec inde ſequitur Sacramenta novæ legis eſſe plura, quam ſeptem. Quia ſicut omnes Ordines ſunt unus Ordo ratione unius,& ejuſdem finis ad quem tendunt, quatenus tendunt omnes ad ipſum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium rite perficiendum, ita ſunt unum Sacramentum unitate finis, & eſt ita conſtans, quia quilibet ordo imprimit characterem, cauſat gratiam, conſtat materia,forma, & intentione, nec poteſt iterari, ergo eſt Sacramentum. Adverte, ordines eſſe plura Sacramenta pluralitate ſpecifica, non autem generica, itaut unus ſit unitate generica, non ſpecifica.

Utrum autem Epiſcopatus ſit ordo.

Certum eſt, Epiſcopatum non eſſe ordinem diſtinctum a Sacerdotio, quia in ordinatione Epiſcopi non confertur ſpecialis aliqua poteſtas in Corpus Chriſti reale, diſtincta a poteſtate ſimplicis Sacerdotis, cum non magis poſſit Epiſcopus in Corpus Chriſti reale, quam ſimplex Sacerdos.

Dico ergo,Epiſcopatum eſſe quandam ipſius Sacerdotii extenſionem, & complementum, quapropter dicitur Sacerdotium Magnum, & ſi eſt ordo diſtinctus, eſt quidem phyſice, non moraliter, & ſicuti poteſtas abſolvendi non eſt

eſt moraliter diſtincta a poteſtate conſecrandi, bene autem phyſice, ita &c.

Dicitur autem Epiſcopatus extenſio, & complementum Ordinis Sacerdotalis, quatenus Ordo Sacerdotalis, qui ſecundum ſe confert poteſtatem in Corpus Chriſti reale, extenditur per poteſtatem Epiſcopalem in Corpus Chriſti myſticum, & ſic quodammodo perficitur, & ultimo completur.

Effectus Ordinis ſunt duo, nempe gratia, & character indelebilis impreſſus in Anima.

Quilibet Ordo confert diſtinctam gratiam cum auxiliis, quibus ordinatus præmunitur ad digne exequendum munus ſui ordinis. Et peculiarem ac diſtinctum imprimit characterem indelebilem, quo ſignificatur peculiaris poteſtas ſpiritualis, quæ confertur in unoquoque Ordine.

Ordines Sacri ultra onus caſtitatis inducunt aliud, nempe recitationis Divini Officii quotidie.

Ordinati non tenentur ſub letali recitare illos Pſalmos, quos habent injunctos ab Epiſcopo poſt collatam ordinationem.

Clerici tenentur ſub letali incedere in habitu Clericali, & Tonſura, quia Sacri Canones graviter id præcipiunt.

Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper interſtitia, non autem ſuper ætatem, neque quo ad tempus ordinationis, quæ ſpectant ad Papam. Interſtitia temporum ſignificant, recipientes ordines debere expectare per annum inter unum ordinem ſuſceptum, & alterum ſuſcipiendum.

Omnes ordines fuerunt a Chriſto inſtituti; ſic Oſtiariatus, quando Chriſtus ejecit de Templo ementes, & vendentes; Lectoratus, quando legit librum Prophetiæ &c. Exorci-

ſta-

ſtatus, quando ejecit Dœmonia a Maria Magdalena, & aures tetigit ſurdi. Acolytatus, quando dixit: *Ego ſum lux Mundi, qui ſequitur me, non ambulat &c.* Subdiaconatus quando lavit pedes Diſcipulorum; Diaconatus, quando communicavit in nocte Cœnæ Apoſtolos, Presbyteratus, quando tradidit poteſtatem Apoſtolis conficiendi Sacramentum Euchariſticum Corporis, & Sanguinis ſui. In Sacerdotio traditur duplex poteſtas, ideſt ordinaria ad conficiendum Corpus, & Sanguinem per impoſitionem manuum factam ab Epiſcopo, dicente: *accipe poteſtatem ad conficiendum Corpus Chriſti*; altera, quæ dicitur ſecunda per impoſitionem ut ſupra ab Epiſcopo ad remittenda peccata. Adverte, unam eſſe diverſam ab altera &c. vide Felicem a Poteſtate *de Ordine*.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 20. Reſtitutio a PIO V. impoſita beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quod ſit pœna.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

33 Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumq; eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii ſecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

35 Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

Ab INNOCENTIO XI. 54. Qui non po-

teſt

teſt recitare Matutinum,& Laudes: poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

CAPUT XVII.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium eſt contractus legitimus, quo Vir, & Femina jus ſui corporis ſibi invicem tradunt, & mutuo acceptant, ſeu eſt mutua traditio, & acceptatio ejus juris. Unde ſequitur maritalis conjunctio inter utrumque cum vinculo indiſſolubili vitæ ſocialis, & jure mutuo adverſus alterum quo ad corpora, & communicationem bonorum.

Matrimonium in ratione contractus ſemper fuit uſque ab initio Mundi. In lege autem Evangelica fuit ipſe contractus matrimonialis elevatus ad rationem Sacramenti. Congruum enim erat attenta humanæ naturæ debilitate, inducta ex peccato originali, quod Chriſtus ultra alia Sacramenta, inſtitueret etiam hoc Sacramentum, dando ſcilicet ipſi contractui matrimoniali vim cauſativam gratiæ Sacramentalis, qua ſpecialiter juventur Conjuges ad perferenda laudabiliter, & cum chriſtiana perfectione onera Matrimonii,& obligationes tum mutuas, tum reſpectu Prolis recte educandæ.

Materia hujus Sacramenti remota ſunt corpora, proxima vero eſt mutua traditio juris proprii corporis. Forma autem eſt ejus juris acceptatio exterius manifeſtata per verba formalia aut æquivalentia, ut ſunt nutus, ſcriptura, aut quodvis aliud ſignum exterius, quod ſit aptum manifeſtare conſenſum liberum contrahentium coram Parocho, ac Teſtibus, qui re-

requiruntur de jure novo Concilii Tridentini, tamquam conditio ad valorem Matrimonii.

Miniſtri autem ſunt ipſi contrahentes, qui ſimul conficiunt, & recipiunt hoc Sacramentum, & ejus effectum, nempe gratiam. Unde Parochus non eſt niſi aſſiſtens nomine Eccleſiæ tamquam Teſtis qualificatus, non autem eſt Miniſter, niſi quo ad benedictionem Nuptiarum; ex quo deducitur, quod Parochus ut Matrimonio aſſiſtat, non eſt neceſſe, quod ſit Sacerdos, bene vero quo ad benedicendas Nuptias.

Contrahentes Sacramentaliter Matrimonium debent eſſe baptizati, cum nemo ſit capax aliorum Sacramentorum niſi per Baptiſmum.

Debent inſuper habere uſum perfectum rationis, non ſolum quia uterque contrahens eſt hujus Sacramenti Miniſter, de cujus ratione eſt, ut habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ſine qua nequit ſubſiſtere eſſentialiter valor Sacramenti, ſed etiam quia ad Matrimonium requiritur eſſentialiter conſenſus liber utriuſque contrahentis, ſine quo Matrimonium eſſet irritum & nullum. Bona Matrimonii ſunt tria, ſcilicet gratia, fides conjugalis, & Proles.

Denique prærequiritur in contrahentibus ſtatus gratiæ, ut digne, & cum fructu recipiatur hoc Sacramentum, quod eſt Sacramentum vivorum ſupponens in ſubjecto ſtatum gratiæ. Unde ſi ſuſcipiatur in ſtatu peccati, procul dubio committitur ſacrilegium, & ſuſpenditur effectus Sacramenti, nempe gratia illa ſpecialis, uſque dum auferatur obex, quo ablato ſtatim ea cauſatur.

Matrimonium inter infideles non eſt Sacramen-

mentum, ſed tantum contractus. Solummodo Matrimonium Chriſtianorum eſt Sacramentum, & confert gratiam, niſi adſit obex, ut jam dixi.

Conjunctio, quæ fit per Matrimonium, principalius dicit unionem animorum, quam corporum, cum qua ſola, & abſque illa corporum poteſt conſiſtere verum Matrimonium etiam in ratione Sacramenti.

Ætas a Sacris Canonibus præſcripta ad Matrimonium contrahendum, in Femina eſt ad minus annorum duodecim, in Maſculo quatuordecim, & quidem completorum, quia in tali ætate jam ſupponitur diſcretio, & cognitio ſufficiens ad diſtinguendam conjugum obligationem.

Unde ſi impuberes nondum perventi ad talem ætatem contraherent, invalidum erit Matrimonium, niſi malitia, & diſcretio in iis detur, ſupplens ætatem, qua data, advenienteponſtea pubertate, Matrimonium non convaleſceret, niſi vel per copulam ſubſecutam, vel per aliquem alium modum conſtaret, contrahentes ante pubertatem perſeveraſſe in eadem voluntate in pubertate.

An contractus Matrimonialis inter fideles ſit ſeparabilis a Sacramento, ſeu quod idem eſt, an poſſit dari Matrimonium validum inter Fideles, quin ſit Sacramentum.

Dicendum negative. Ratio hæc eſt, quia qui eſt membrum Reipublicæ, & intendit celebrare contractum non ſervato Ritu inducto ex lege Principis, & communi conſuetudine recepto, procul dubio contrahit nulliter; ſed Ritus Sacramentaliter contrahendi Matrimonium eſt proprius, & peculiaris Reipublicæ Chriſtianæ inductus ex inſtitutione Chriſti Domini ſupremi Principis, & Conditoris ejuſdem

Ca-

Catholicæ Reipublicæ, idemque ritus communi, & univerſali Chriſtianorum conſuetudine eſt receptus; ergo cum fideles omnes ſint membra Reipublicæ Chriſtianæ, ſi qui eorum intendunt contrahere Matrimonium, & non facere Sacramentum, contrahunt nulliter, utpote non celebrantes contractum, qualiter inſtitutus eſt a Chriſto Domino, & ſecundum eum ritum, & legem, ſecundum quam eſt proprius Chriſtianorum. Nequit igitur eſſe Matrimonium inter fideles legitimum, & validum, quin ſit etiam Sacramentum, adeo ut data nullitate in ratione Sacramenti, detur etiam nullitas in ratione contractus.

Confirmatur Matrimonium eſt invalidum etiam in ratione contractus, ſi fiat clandeſtinum, ideſt ſine præſentia Parochi, ubi Concilium Tridentinum fuit receptum; ergo etiam erit invalidum, ſi fiat ſine intentione faciendi Sacramentum. Prob. conſeq. Ideo ſi fiat clandeſtinum, eſt invalidum, quia fieret contra inſtitutionem Eccleſiæ, atqui fieret contra inſtitutionem Chriſti, ſi fieret ſine intentione faciendi Sacramentum; ergo ſi in primo caſu eſſet invalidum, a fortiori etiam in ſecundo: unico verbo, ſicut contractus humanus, ac civilis debet fieri ſecundum leges Principis, ſecus non erit validus, ſed nullus, ita contractus Matrimonialis debet celebrari ſecundum legem a Chriſto præceptam, nempe ut Sacramentum, aliter erit invalidum, & nullum.

Ætas vero quo ad ſponſalia Matrimonium præcedentia, conſiſtentia in mutua promiſſione contrahendi Matrimonium inter ſe, eſt ſeptem annorum in utroque, a quibus tamen ſponſalibus pervenientes ad annos pubertatis poſſunt petere ſolutionem.

Qui contrahit Matrimonium, vel ſponſalia ante legitimam ætatem, peccat mortaliter, quia verba Canonum continent præceptum, non purum conſilium. Quamvis in hoc regulariter magis cenſeantur peccare conſulentes, aut ii, qui curam habent contrahentium, quam ipſi contrahentes, qui plerumque excuſantur ob ignorantiam juris.

Matrimonium aliud eſt ratum, aliud conſummatum. Ratum eſt illud, quod legitime celebratum eſt coram Parocho, & Teſtibus. Conſummatum eſt illud, quod completum eſt per copulam perfectam in vaſe legitimo, interveniente ſaltem Viri ſeminatione.

Matrimonium ſive ſit ratum, ſive conſummatum eſt indiſpenſabile, non tamen eodem modo. Nam conſummatum ſi eſt validum, nunquam poteſt diſſolvi neque authoritate Pontificis. Matrimonium vero ratum urgente aliqua graviſſima neceſſitate a Summo Pontifice diſſolvi poteſt.

Diſſolvitur etiam per ſolemnem profeſſionem religioſam, qua peracta, & non ante, alter conjux manet liber ad contrahendas alias Nuptias. At non diſſolvitur per Ordinem Sacrum, neque per dignitatem Epiſcopalem, quia jura loquuntur tantum de profeſſione religioſa.

Unde Sacri Canones concedunt junctis Matrimonio rato ante conſummationem bimeſtre ad cogitandum de electione ſtatus Religioſi, propter excellentiam ejuſdem, adeout altero petente debitum, poſſit alius, a quo petitur, juſte negare debitum extra ejus injuriam. Bimeſtri autem elapſo, vel debet ingredi Religionem, vel tenetur ſub letali reddere debitum, & conſummare Matrimonium. Et etiam ſi præceſſiſſet inter eos copula ante Matrimo-

nium-

nium ratum, adhuc privilegium haberet locum, quia ea copula non eſt Matrimonialis, quæ proinde non præjudicat quo ad tale privilegium, utpote conceſſum ob excellentiam ſtatus Religioſi.

Ratio autem, cur Matrimonium ratum ſit diſſolubile, indiſſolubile conſummatum, hæc eſt, quia ratum ſignificat diſſolubilem unionem Chriſti per gratiam cum anima juſti. Conſummatum vero ſignificat indiſſolubilem unionem Chriſti cum Eccleſia sponsa ſua.

Quæres, an qui contrahit Matrimonium in peccato mortali, committat duo peccata. Et ratio dubitandi eſt, quia contrahentes ſunt Miniſtri Sacramenti Matrimonii, & ſubjectum ſuſceptivum ejuſdem, quatenus ipſi ſunt, qui conficiunt ſimul, & recipiunt; unde videtur, quod duplex peccatum committant, alterum prout indigne miniſtrant, & alterum prout indigne recipiunt.

Reſpondeo, non committere niſi unum peccatum, indignæ ſcilicet ſuſceptionis Sacramenti. Quia licet ipſi contrahentes ſint miniſtri Matrimonii, qua Sacramentum eſt, non ſunt tamen ad id ſpeciali conſecratione deputati, ſed ſunt ex quadam neceſſitate ad id munus aſſumpti, eo quod ſcilicet Matrimonium eſt eſſentialiter contractus, qui propterea exigit, ut ipſi contrahentes ex libero utriuſque conſenſu applicent ad invicem materiam, & formam, conſiſtentem in mutua traditione, & acceptatione juris proprii corporis, prout dictum eſt ſupra. Manifeſtum eſt autem, quod Miniſtri, qui ex quadam neceſſitate miniſtrant, ſeu conficiunt aliquod Sacramentum, & non ſunt ſpeciali conſecratione ad id munus deputati, non peccant letaliter, exercendo illud Miniſterium in peccato, ut patet in

Laico miniſtrante in caſu neceſſitatis Sacramentum Baptiſmi.

CAPUT XVIII.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

DUo ſunt genera impedimentorum. Alia ſunt impedientia tantum. Alia impedientia ſimul, & dirimentia.

Impedimenta impedientia tantum ſunt, quæ reddunt Matrimonium illicitum, non tamen invalidum. Et hæc quinque ſunt, videlicet Votum, Interdictum, Sponſalia, Catechiſmus, & Crimen, & hoc ultimum ſubdivitur in ſex ſpecies, quales ſunt. Inceſtus cum conſanguinea ſuæ conjugis. Uxoricidium, Presbytericidium, Raptus alienæ ſponſæ, Cognatio ſpiritualis malo animo contracta. Matrimonium ſcienter contractum cum Moniali.

Votum, quod ſolum impedit, eſt votum ſimplex caſtitatis, vel votum de non nubendo, vel votum ſuſcipiendi Ordines Sacros, aut ingrediendi Religionem, taliter quod qui contrahit Matrimonium cum uno ex his votis, illicite contrahit, & peccat mortaliter. Eſt tamen in iſtis diverſitas obligationum, nam qui vovit non nubere, nubendo peccat, & ad nihil amplius tenetur, quia non poteſt amplius ſervare votum, ſicut ſemel fracto jejunio non amplius quis peccat iterum comedendo, quia jejunium tunc ſervari amplius nequit.

Si quis autem novit ingreſſum Religionis, nubendo peccat, & iterum peccat conſummando Matrimonium, quia poſt Matrimonium ratum ante conſummationem adhuc poteſt Religionem ingredi, & reddere Deo vota ſua,

Con-

Conſummato tamen Matrimonio, qui vovit Religionis ingreſſum, ad nihil aliud tenetur vivente Uxore, qua tamen præmortua tenetur iterum ad Religionis ingreſſum.

Si autem quis vovit caſtitatem, nubendo peccat, & poteſt tantum reddere, & non petere, quia tenetur obſervare votum, quantum poteſt, & item præmortuo conjuge tenetur ad votum, non tranſeundo ad alias Nuptias.

Impedimentum interdicti eſt prohibitio facta ab Eccleſia, ne in quibuſdam anni temporibus Nuptiæ celebrentur, ideſt a prima Dominica Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a Die Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſive, quæ particula *incluſive* probabilius afficit etiam diem Epiphaniæ, itaut illa etiam comprehendatur in prohibitione; quia ſub eadem clauſula continetur; tum ex eo quia illa particula *uſque* ex genere ſuo eſt incluſiva, non excluſia.

Utrum autem pro his Temporibus ſint interdictæ ſolum ſolemnitates Nuptiarum, an etiam ipſa Matrimonia ſecundum ſe, ac nude ſumpta. Adverto.

Nomine ſolemnitatum Nuptiarum veniunt potiſſimum benedictiones Nuptiales, quæ ex præſcripto Eccleſiæ fiunt in primis Nuptiis ante conſumationem Matrimonii, venit etiam ſolemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi, nomine cujus intelligitur ipſa traductio ut comitata conviviis, aliiſque lætitiæ ſignis.

Unde dico primo, Benedictiones ſolemnes Nuptiarum, itemque ſolemnem traductionem ſponſæ in domum ſponſi pro iis temporibus eſſe omnino prohibitas, & quidem ſub mortali, quia tales ſolemnitates ſolent fieri conſequentibus, ſeu comitantibus talibus lætitiæ ſignis, quæ evocant animos a ſpiritualibus ad

carnalia, & profana, propterea non videntur congruere cum ſanctitate illorum temporum, in quibus Eccleſia vacat ſpiritualibus officiis, & maxime in Dei cultum dirigitur.

Dico ſecundo, probabilius attento rigore juris non eſſe pro iis temporibus prohibita Matrimonia ſecundum ſe, & nude ſumpta ſecluſis ſolemnitatibus regulariter comitantibus Matrimonia ipſa.

Attamen attenta conſuetudine fere ubique vigente, & vim legis graviter obligantis habente, dico & ipſa eſſe prohibita, quia conſuetudo hæc in locis, in quibus viget, intelligitur recepta relative ad præceptum Eccleſiæ non celebrandi Nuptias pro tali tempore.

Adverto hic ad evitandam æquivocationem, quod nomine interdicti Matrimoniorum non venit interdictum Cenſura. Etenim eſt certum, pro tempore interdicti Cenſuræ non eſſe prohibita Matrimonia ſecundum ſe ſumpta, quia pro tempore interdicti Cenſuræ vetantur ea, quæ ex ordinis miniſterio dependent, ſed Sacramentum Matrimonii non dependet ab aliquo ordinis exercitio; quandoquidem Miniſtri hujus Sacramenti, ex ſuperius dictis, ſunt ipſi contrahentes, & Parochus non præſtat circa ipſum Matrimonium ullum ordinis Miniſterium, ſed ſolum authoritativam præſentiam, ergo &c.

Epiſcopus poteſt ob legitimam cauſam interdicere ad tempus Matrimonia ſubditorum, quia ad perfectum regimen propriæ Eccleſiæ ſpectat, quandoque interdicere ad tempus aliquod Matrimonium, cum præſertim dubium occurrit de aliquo impedimento, quouſque innoteſcat, an vere adſit, vel non; ſeu cum imminet periculum rixarum, donec remedium pro-

procuraverit, ut Matrimonium iniri poſſit citra rixas, & ſcandala.

Noto, cauſas Matrimoniales pertinere ad ſolum forum Eccleſiaſticum, ut ſolius Judicis Eccleſiaſtici ſit de iis cognoſcere, & definire. Poſtquam enim contractus Matrimonialis fuit elevatus ad eſſe Sacramenti, factus eſt materia pure Eccleſiaſtica, vel ſaltem fuit valde conſentaneum, ut Pontifex hanc materiam ſibi, & foro Eccleſiaſtico reſervaret; unde deducitur, poteſtatem ſæcularem non poſſe ſe ingerere in cauſis Matrimonialibus.

Impedimentum ſponſalium eſt promiſſio jam facta uni ſponſæ de contrahendo Matrimonio cum ipſa, quibus ſponſalibus non diſſolutis, ſi quis aliam ducat, peccat mortaliter, quia non adimplet promiſſionem validam alteri factam cum gravi ipſius injuria.

Impedimentum Catechiſmi eſt quædam ſpiritualis affinitas, quæ contrahitur reſpondendo in illis cæremoniis, quæ antecedunt Baptiſmum, & propter reſponſiones dicitur Suſceptor in Catechiſmo. Hoc impedimentum antiquitus contrahebatur, & erat impediens Matrimonium, nunc autem ſublatum eſt a Concilio Tridentino.

Inceſtus, qui eſt primum crimen, ex quo conſurgit impedimentum præciſe impediens, eſt copula perfecta habita a Marito cum conſanguinea propriæ Uxoris, adhuc vivente ipſa Uxore, quæ impedit, ne inceſtuoſus præmortua propria Uxore, quamcumque aliam ducat in Uxorem.

Dixi, vivente adhuc ipſa Uxore, quia ſi copula inceſtuoſa habeatur poſt mortem ſuæ Uxoris, probabilius eſt, non oriri tale impedimentum.

Quod dictum eſt de Marito inceſtuoſe cogno-

gnoſcente conſanguineam propriæ Uxoris; idem dicendum de Uxore, ſi ipſa inceſtuoſe commiſceatur cum conſanguineis ſui Viri.

Idemque impedimentum contraherent ipſi conſanguinei conjugatorum, ſi inceſtum cum ipſis conjugatis reſpective haberent.

Ratio autem, quare jus Canonicum inducit ex præfato inceſtu hoc impedimentum eſt, quia cum inceſtuoſus deliquerit contra Matrimonium jam initum, conſtituendo ſe affinem cum propria Uxore ex propria culpa, ratione cujus affinitatis impeditur ab uſu conjugii, tam in petendo, quam in reddendo, utique in eodem genere Matrimonii æque fuit puniendus, ita ut aliud non poſſit licite contrahere, quæ ratio militat etiam de iiſdem conſanguineis, qui inceſtum cum eodem Marito, & Conjuge reſpective committerent, quo ad contrahendum idem impedimentum, ob injuriam ſcilicet, quam iſti etiam irrogarent Matrimonio.

Hinc quia hoc impedimentum non eſt conſurgens ex natura ſua, ſed ex diſpoſitione juris Eccleſiaſtici, & in pœnam delicti, contrahitur ſolum, quando inceſtus evadat manifeſtus, & ſit probatus, alioquin ſi ſit, & maneat omnino occultus, tunc non oritur, quia pœnæ inductæ ex juris diſpoſitione non intelliguntur affixæ delictis omnino occultis, niſi hoc ſit expreſſum.

Advertendum tamen, quod hoc impedimentum ex inceſtu extenditur ſolum uſque ad ſecundum gradum incluſive, quia tantum extenditur affinitas conſurgens ex copula illicita. Affinitas conſurgens ex copula illicita quo ad effectum impediendi Matrimonium de jure novo Concilii Tridentini reſtringitur ad ſecun-

cundum gradum, & non extenditur ultra, ita etiam &c.

Uxoricidium prout eſt præciſe impediens, non dirimens Matrimonium, eſt injuſta occiſio propriæ Uxoris a Marito patrata ex impetu iræ, quæ impedit, ne Uxoricida aliam ducat. Hoc impedimentum non extenditur ad Uxorem, ſi ipſa Maritum interficiat, quia jura loquuntur ſolum de Uxoricidio, non de Mariticidio, quæ cum ſint pœnalia, propterea non ſunt extendenda. Quare autem jura induxerunt hoc impedimentum in Uxoricidio, non in Mariticidio, rationem diverſitatis aſſignat D. Thomas, quia Uxor magna tenetur reverentia erga Maritum, nec in ea præſumitur proclivitas ad ipſius Mariti necem, quæ eſt in Marito ad necem ipſius Uxoris; cui non debet tantam reverentiam, ideo congruum fuit, ut in juris diſpoſitione puniretur Uxoricida privatione Conjugii.

Presbytericidium prout ex juris diſpoſitione eſt impediens Matrimonium, eſt occiſio Sacerdotis injuſta a Viro patrata, & per ſententiam Judicis declarata. Unde ad incurrendum hoc impedimentum non ſufficit, quod Presbytericidium fuerit commiſſum, ſed ulterius requiritur, quod Presbytericida fuerit in judicio contentioſo convictus de tali crimine, ut deducitur ex Textu Canonico

Dixi, a Viro patrata, quia hoc impedimentum contrahitur ſolum a Maſculo, ſi ipſe fuerit Sacerdotis interfector, non autem a Femina, ſi ipſa interfecerit Sacerdotem, quia proprietas verborum Textus ſupponit ſolum pro Maſculo, & cum Textus ſit pœnalis, ideo non extendendus ultra proprietatem verborum ad Feminam.

Non incurret tamen hoc impedimentum

Maritus, ſi Sacerdotem interficeret deprehenſum in actu adulterii cum propria Uxore, ſicut neque ſi Maritus occideret propriam Uxorem deprehenſam in actu adulterii, incurreret præcedens impedimentum uxoricidii.

Raptus alienæ ſponſæ, prout eſt impediens, & ut contradiſtinctus a raptu per Concilium Tridentinum dirimente, reſpicit ſponſam jam alteri deſponſatam, vel per verba de præſenti, vel de futuro, & impedit non ſolum Matrimonium cum ipſa, ſed cum quacunque alia; etiam ſi aliena ſponſa conſenſerit raptui, adeo ut nec eadem ſponſa ſi conſenſerit, poſſit poſtea alteri nubere, ut intelligitur ex Textu Canonico, poſſit autem, ſi invita fuerit rapta.

Cognatio ſpiritualis malitioſe contracta eſt, quæ conſurgit ex ſuſceptione propriæ prolis in Sacramento facta hoc animo perverſo inſidiandi Matrimonio cum proprio Conjuge, ad impediendum ſcilicet uſum ejuſdem. Talis ſuſceptio ex juris diſpoſitione inducit in ſuſceptore, ut non poſſit licite contrahere cum alia quacunque poſt obitum propriæ Uxoris. Et hoc impedimentum contrahitur, ſive ſit Maritus, qui teneat, ſive ſit uxor, ſive ambo ſimul, & ſive teneant in Baptiſmo, ſive in Confirmatione; & ne dum ſi teneant, ſed etiam ſi miniſtrent proprio filio Sacramentum Baptiſmi.

Ultimum impedimentum criminis præciſe impediens, eſt Matrimonium ſcienter contractum cum Moniali profeſſa, quod ipſo jure eſt irritum, & impedit conjugium cum qualibet alia. Unde ad contrahendum hoc impedimentum requiritur, quod Monialis fuerit profeſſa, quia in tantum jura induxerunt hoc impedimentum, inquantum quia non debet Matrimonio gaudere qui violat Matri-

mo-

monium Chriſti puriſſimum, & indiſſolubile cum Sponſa ejus; & ideo hoc impedimentum contrahitur in pœna tanti delicti; non contrahitur autem, ſi nondum fuerit profeſſa, quia tunc non militat dicta ratio finalis jurium. Inſuper requiritur, quod contrahens Matrimonium cum Moniali profeſſa, ſciat, eam eſſe profeſſam, ſecus, ſi ignoraret, non contraheret hoc impedimentum. Et ratio eſt, quia hoc impedimentum contrahitur in pœna delicti. Delictum autem in caſu non eſt voluntarium, cum voluntarium non ſit, ubi non eſt cognitio, ideo &c.; propterea conſulto dixi, Matrimonium ſcienter contractum cum Moniali profeſſa.

Impedimenta dirimentia, ſive invalidantia Matrimonium ſunt, quæ ſequuntur; Videlicet: Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas, ſi ſis Affinis, ſi forte coire nequibis, & hæc dirimunt de jure antiquo. De jure autem novo Concilii Tridentini addita fuerunt hæc duo, quæ dirimunt, videlicet Raptus, & Clandeſtinitas, ideſt contractus Matrimonialis ſine Parocho, & Teſtibus.

Pro primo impedimento dirimente venit error, qui vel eſt circa Perſonam, cum qua quis intendit Matrimonium contrahere, vel circa qualitatem Perſonæ; ſi error ſit circa Perſonam, irritat ipſo jure naturæ Matrimonium contractum, quia cum tali errore non habetur conſenſus quo ad ſubſtantiam, a quo eſſentialiter pendet Matrimonium, & ſine quo non ſubſiſtit. Si autem error ſit circa Perſonæ qualitatem, ut v. g. ſi quis intendit contrahere cum Sempronia quam putat Virginem, pulchram, divitem &c., & poſtea comperiat, non

non eſſe talem, hujuſmodi error non irritat Matrimonium contractum, quia in contrahente ſic errante adhuc datur conſenſus quoad ſubſtantiam, cum conſentiat in talem determinatam perſonam coram Parocho, & Teſtibus, quantum requiritur, & ſufficit pro validitate Matrimonii.

Secundum impedimentum dirimens eſt conditio, nomine cujus intelligitur ſervitus legalis, qualem habent hi, qui non ſunt emancipati, & ita ſunt ſub poteſtate Dominorum, ut ab iiſdem pro libito vendi poſſint, & iſti proprie dicuntur mancipia. Ut autem hæc conditio ſervilis in uno contrahente ſit dirimens Matrimonium contractum, oportet, quod ſit ignorata ab altero contrahente libero, ſecus ſi fuerit cognita ſive ante, ſive in ipſa actuali celebratione Matrimonii, Matrimonium erit validum, quia conditio ſervilis in uno contrahente, cum non repugnet ſubſtantiæ Matrimonii, non irritat ipſum ex natura rei, ſolum de jure Eccleſiaſtico, quod vult, quod Matrimonium ſit abſolute liberum, & voluntarium; & ideo irritat, ſi fiat cum ignorantia, ſeu errore talis conditionis. Hinc ſi quis liber contrahat cum Ancilla, & e contra, ignorata conditione ſervili invalide, contrahit, valide autem, ſi fuerit cognita.

Tertium impedimentum dirimens eſt Votum, nomine cujus hic intelligitur votum caſtitatis ſolemne emiſſum, aut in profeſſione Religioſa, aut in ſuſceptione Ordinis Sacri, adeo ut ordinatus in Sacris, vel Regularis profeſſus in Religione approbata non poſſit Matrimonium contrahere, & ſi contraheret, eſſet irritum, ac nullum.

Quartum impedimentum dirimens eſt Cognatio-

gna-

gnatio, quæ triplex eſt; Carnalis, Legalis, & Spiritualis. Cognatio Carnalis, quæ proprie eſt conſanguinitas, eſt conjunctio multorum ex eodem ſtipite, & ſanguine deſcendentium. Cognatio legalis eſt quæ oritur inter certas perſonas ex adoptione alicujus in filium, vel filiam. Cognatio Spiritualis eſt proximitas, quæ contrahitur ratione Baptiſmi, vel Confirmationis.

Matrimonium inter conſanguineos in linea recta tam aſcendentium, quam deſcendentium in primo gradu, eſt irritum de jure naturæ, ut tenet comunis Theologorum ſententia. Immo valde probabile eſt, eſſe pariter de jure naturæ irritum in eadem linea etiam in qnocunque gradu uſque in infinitum, adeo ut ſecundum hanc ſententiam, quæ eſt graviſſimorum Doctorum, ſi Adam nunc reſurgeret, nullam poſſet Uxorem ducere, cum omnes per rectam lineam ab ipſo procedant per veram, & naturalem propagationem, ut ipſe vere ſit communis Parens, & Propagator univerſi Humani Generis.

In linea autem tranſverſali irritatur ſolum in primo gradu de jure naturæ, in reliquis autem gradibus uſque ad quartum incluſive de jure tantum Eccleſiaſtico.

Cognatio legalis dirimit Matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & deſcendentes ipſius adoptati uſque ad quartum gradum, inſuper inter Uxorem adoptantis, & adoptatum, nec non etiam inter adoptantem, & Uxorem adoptati, adeo ut hæc Cognatio inter præfatos ſemper duret, & dirimat, etiam ſi adoptio fuerit diſſoluta.

Inter filios vero naturales adoptantis, & adoptatum dirimit, & perſeverat adoptio, qua ceſſante, ceſſat quoque inter iſtos Cognatio legalis.

Ado-

Adoptio definitur, quod ſit Perſonæ extraneæ in filium, aut in filiam legitima aſſumptio.

Cognatio denique ſpiritualis conſurgens in Baptiſmo, & Confirmatione dirimit Matrimonium inter eos, inter quos datur. Neque ulterius ſe extendit, cum non admittat pluralitatem graduum. Hæc autem Cognatio datur inter Baptizantem, & Patrem, ac Matrem Baptizati, inter ſuſceptores, & ipſum baptizatum, inter ſuſceptores, & Patrem, ac Matrem baptizati.

Quintum impedimentum dirimens eſt crimen. Tria potiſſimum crimina aſſignantur, ob quæ ſubſequens Matrimonium dirimitur. Primum eſt adulterium cum machinatione mortis alterius conjugis executioni mandata, ad effectum ſcilicet contrahendi inter ſe Matrimonium, & hoc eſt crimen homicidii cum adulterio. Secundum eſt conſpiratio utriuſque ad necem Conjugis, fide data de contrahendo Matrimonio inter ſe, ſecuta illius morte, etiam ſi non interveniat adulterium; & hoc eſt crimen homicidii ſine adulterio. Tertium eſt adulterium cum promiſſione mutua Matrimonii contrahendi poſt mortem alterius Conjugis, ſi ſcilicet ſupervixerint ad ejus mortem naturalem, & hoc eſt crimen adulterii ſine homicidio. Quolibet enim ex his modis contrahitur impedimentum criminis dirimens Matrimonium inter Perſonas ad invicem, quæ aliquod hujuſmodi criminis perpetrarunt.

Sextum impedimentum dirimens eſt diſparitas Cultus, ac Religionis, quæ datur inter Fideles, & Infideles non baptizatos, inter quos Matrimonium, ſi contrahitur, non ſubſiſtit, & eſt irritum ipſo jure, non quidem na-

turali, aut poſitivo Divino, ſed tantum Eccleſiaſtico. Congruum enim erat, ut diſparitati Cultus, ac Religionis adjiceretur hoc impedimentum propter damna, & ſcandala, quæ ex his Matrimoniis provenire poſſent tam inter ipſos contrahentes, quam in Prole, propterea jure optimo inductum eſt, ut Matrimonium inter diſpares Cultu non ſubſiſtat.

Dixi, Infideles non baptizatos, quia cum Matrimonium modo ſit elevatum ad eſſe Sacramentum, non poteſt ad illud eſſe aditus, niſi per januam Baptiſmi. Quod ſi Matrimonium contraheretur a Fideli cum Hæretica baptizata, vel a Catholica cum Hæretico baptizato, & probabiliter etiam cum Apoſtata a Fide, ſi non licite, tamen valide contraheretur, & ſubſiſteret.

Contracto Matrimonio inter Infideles, ſi ambo ad Fidem convertantur, remanet eorum Matrimonium, dummodo hoc fuerit contractum ſine ullo impedimento contra jus naturæ etiam ſi cum aliquo contra jus Eccleſiaſticum, quia impedimenta inducta a ſolo jure Eccleſiaſtico non afficiunt infideles.

Remanet etiam, & non diſſolvitur, ſi unus tantum fuerit ad Fidem converſus, & baptizatus, permanente altero in ſua infidelitate, quando tamen Conjux infidelis conſentiat habitare cum altero ad Fidem converſo ſine contumelia Creatoris; ut patet ex Apoſtolo ad Corinth. 7. v. 13.

At ſi nolit cohabitare, aut non niſi cum contumelia Creatoris, quatenus compellat Fidelem ad peccandum, deſpiciat audire nomen Dei, & Chriſti, & ipſum blaſphemet, atque impediat, ne Deo, & Chriſto Domino per Familiam debitus honor, & cultus exhibeatur; tunc poteſt Fidelis converſus ex privile-

gio

gio ipſi conceſſo a Chriſto in tali hypotheſi, & in favorem Fidei, recedere a priori Matrimonio quantumvis conſummato, & tranſire ad aliud, quo celebrato, ſtatim illud prius intelligeretur ipſo Jure Divino diſſolutum, ut etiam colligitur ex eodem Apoſtolo loco citato. Immo etiam poteſt tranſire ad Religionem, & in ea profiteri, & ſic etiam diſſolvere ipſum Matrimonium per profeſſionem Religioſam; nam ſi Chriſtus conceſſit, poſſe tranſire ad alias Nuptias, præſumi debet, conceſſiſſe etiam, poſſe tranſire ad ſtatum perfectiorem, ut eſt ſtatus Religionis actu profeſſæ.

Septimum impedimentum dirimens Matrimonium eſt Vis, ſeu violentia, per quam ſi Matrimonium contrahitur, eſt ipſo jure irritum, non tantum Eccleſiaſtico, ſed naturæ, ob defectum voluntatis, & liberi conſenſus eſſentialiter requiſiti ad valorem Matrimonii.

Ad hoc idem impedimentum reducitur metus gravis cadens in conſtantem Virum injuſte incuſſus directe ad hunc finem extorquendi conſenſum in Matrimonium; unde qui ex tali metu compulſus contrahit Matrimonium, invalide contrahit ob eandem rationem, ob defectum ſcilicet voluntatis, & liberi conſenſus. Nec obſtat, quod compulſus ex tali metu conſentiat in Matrimonium; nam licet conſentiat, talis conſenſus non eſt liber, ac proinde inſufficiens. Dicitur autem metus cadere in conſtantem Virum, cum taliter timetur malum, ut probabiliter certo credatur, comminantem illud fore executioni mandandum.

Octavum impedimentum dirimens eſt Ordo, nomine cujus hic intelligitur Ordo Sacer, qui valide ſuſceptus dirimit ſubſequens Matri-

tri-

trimonium, & hoc ex ſola Juris Eccleſiaſtici diſpoſitione ratione voti caſtitatis, quod Eccleſia annexuit ipſi Ordini Sacro, quod proinde intendi debet, ſi non expreſſe, ſaltem tacite, ab eo, qui voluntarie ſuſcipit Ordinem Sacrum; quatenus Eccleſia non vult, ut Ordo Sacer conferatur, niſi ſuſcipiens emittat votum caſtitatis, ſeu, ut loquar iiſdem verbis Textus Canonici, niſi ſe victurum caſte promittat, quod ſecundum Gloſſam intelligitur de promiſſione vel expreſſa, vel tacita.

Neque dicas, ſolum votum caſtitatis ſolemne dirimere ſubſequens Matrimonium; cum autem votum caſtitatis annexum Ordini Sacro non ſit ſolemne, ideo non eſt dirimens, ut patet de voto ſimplici caſtitatis, quod de ſe non dirimit Matrimonium ſubſequens.

Sed contra eſt, & dico, quod licet votum caſtitatis Sacro Ordini annexum non ſit per ſe & ex natura ſua ſolemne, eſt tamen per accidens, & ex diſpoſitione Eccleſiæ, ſolemne, quatenus Eccleſia voluit, ut habeat effectum proprium ſolemnis voti, qui eſt dirimere ſubſequens Matrimonium, & ideo dixi ſupra, quod habeat dirimere ex ſola juris Eccleſiaſtici diſpoſitione. Ad differentiam voti ſolemnis caſtitatis emiſſi in Religione approbata, quod dirimit ſebſequens Matrimonium non ſolum de jure Eccleſiaſtico, ſed etiam de jure naturali Divino.

Et ratio differentiæ eſt, quia in Profeſſione Religioſa qui profitetur, abdicat a ſe totaliter dominium ſui, & illud perfecte transfert in Deum, itaut non ſit amplius ſui juris, ſed hoc ſit perfectiſſime acquiſitum Deo, Deo illud acceptante, medio Prælato Religionis ad id munus deputato; quapropter Religioſus

profeſſus dicitur mortuus ſæculo, & totaliter adhærens, & perpetuo adſcriptus Deo; non ſic autem contingit in ſuſceptione Ordinis Sacri per illud votum implicitum, & ideo impedimentum dirimens ſubſequens Matrimonium, ſic Religioſo profeſſo eſt non ſolum de jure Eccleſiaſtico, ſed etiam de jure naturali Divino, in Sacris initiato eſt tantum de jure Eccleſiaſtico.

Dices. Si &c. non poſſet Pontifex ſuper tale impedimentum diſpenſare Religioſum Profeſſum; atqui Pontifex in caſu alicujus graviſſimæ neceſſitatis poteſt diſpenſare, ut Religioſus profeſſus contrahat Matrimonium; ergo &c. Maj. patet, quia in iis, quæ ſunt Juris naturalis Divini Pontifex diſpenſare nunquam poteſt. Minor negari non poteſt.

Sed Contra, dico, Deum in caſu illius neceſſitatis cedere juri acquiſito per illud votum ſolemne, reſtituendo Religioſum profeſſum in priſtinum ſui juris: Unde Pontifex tunc proprie non diſpenſat, ſed ut Vicarius ipſius Dei in Terris, nihil aliud facit, quam declarare ceſſionem illam a Deo factam, qua declaratione ſuppoſita ſub terminis diſpoſitionis a Pontifice factæ reducitur Religioſus profeſſus ad ſtatum, ut poſſit valide in eo caſu contrahere Matrimonium.

Nonum impedimentum dirimens ſubſequens Matrimonium eſt ligamen, quod eſt vinculum prioris Matrimonii, quo durante Matrimonium ſubſequens eſt invalidum, ſive prius Matrimonium ſit jam conſummatum, ſive tantum ſit ratum. Qui enim contraheret Matrimonium ſecundum durante priori eſſet Poligamus. Ubi noto, diſcrimen inter Poligamiam, & Bigamiam hoc eſſe, quod Poligamia dicit contrahi ſecundum Matrimonium, du-

ran-

rante adhuc primo; dicit nempe habere ſimul plures Uxores, Bigamia vero dicit] contrahi ſecundum Matrimonium, jam diſſoluto priori, & plures Uxores non ſimul, ſed ſucceſſive, unam poſt alteram mortuam. Unde in Poligamia ſecundum Matrimonium eſt omniuo invalidum: quia contrahitur durante adhuc primo. In Bigamia autem Matrimonium ſecundum omnino tenet, quia contrahitur, primo jam diſſoluto per mortem alterius Conjugis.

Impedimentum ligaminis dirimit Matrimonium ſubſequens de jure naturali Divino, adeo ut in nullo caſu poſſit Pontifex diſpenſare, ut Vir vivente adhuc prima Uxore poſſit aliam ducere, & habere plures Uxores ſimul.

Poligami ſunt denunciandi Sacræ inquiſitioni tamquam ſuſpecti de Hæreſi, contra quos latæ ſunt pœnæ a Jure Canonico, quatenus fundamentum præbent ſuſpicandi de iis quod male ſentiant de Sacramento Matrimonii, & quod licitum ſit conjugium cum pluribus, quod eſt contra fidem; cum apud Matthæum cap. 19. Chriſtus expreſſe prohibeat Viro habenti Uxorem ducere aliam, & in lege antiqua ſi fuerunt permiſſæ plures Uxores, hoc fuit ex diſpenſatione Dei, quia tunc ille Populus erat carnalis.

Pœnæ latæ contra Poligamos præcipue ſunt Tortura ſuper eorum intentione, abjuratio, & condemnatio ad Triremes per ſeptennium, vel ſaltem per quinquennium.

Decimum impedimentum eſt ratio publicæ honeſtatis, nomine cujus intelligitur propinquitas conſurgens ex duplici capite, primo ex ſponſalibus validis inter Sponſum, & conſanguineam Sponſæ, & vice verſa, in primo dumtaxat gradu de jure novo Concilii Tridentini,

diri-

dirimens Matrimonium inter Sponſum, & conſanguineam Sponſæ præmortuæ, & viceverſa in primo gradu conſanguinitatis.

Secundus conſurgit ex Matrimonio tantum rato, & non conſummato, ſive valido, ſive invalido, aliunde tamen, præterquam ex defectu conſenſus, inter Conjugem, & conſanguineas alterius Conjugis, & viceverſa uſque ad quartum gradum, ita ut Sponſus præmortua Conjuge ſua ante conſummationem Matrimonii non poſſit valide contrahere cum aliqua ex conſanguineis ſuæ Conjugis uſque ad quartum gradum, & viceverſa.

Undecimum impedimentum dirimens eſt affinitas, nomine cujus intelligitur propinquitas Perſonarum inter ſe, conſurgens ex copula conſummata in vaſe naturali, non ſolùm licita, ſeu conjugali, ſed etiam illicita, ſeu fornicaria.

Affinitas conſurgens ex copula licita, ſeu ex Matrimonio conſummato extenditur uſque ad quartum gradum. Illa vero, quæ oritur ex copula illicita, ſeu fornicaria uſque ad ſecundum gradum præciſe, attento jure novo Concilii Tridentini.

Hinc Maritus conſummato Matrimonio contrahit affinitatem cum conſanguineis Uxoris uſque ad quartum gradum; ita ut præmortua Uxore cum nulla ex iis poſſit Matrimonium contrahere, & e contra; unde ſi contraheretur ſecluſa diſpenſatione, eſſet irritum ratione affinitatis.

Qui copulam fornicariam habuit, contrahit affinitatem cum conſanguineis illius, quam fornicarie cognovit uſque ad ſecundum gradum, itaut non poſſit ullam ex illius conſanguineis tam in primo, quam in ſecundo gradu ducere in Uxorem, & e contra.

Pro

Pro dignoſcendis gradibus affinitatis hæc eſt regula, nempe in quo gradu conſanguinitatis eſt unus Conjux cum ſuis conſanguineis, in eodem gradu eſt affinis alter Conjux cum iiſdem ex vi copulæ Conjugalis. Et in quo gradu conſanguinitatis fornicata eſt conſanguinea cum ſuis, in eodem gradu fornicans eſt affinis cum iiſdem ex vi copulæ fornicariæ; uſque tamen ad eum gradum prohibitum juxta dicta ſuperius.

Duodecimum impedimentum dirimens eſt impotentia coeundi, videlicet, habendi copulam perfectam Conjugalem, quæ ſi ſit naturaliter inauferibilis, & abſoluta in ordine ad quamcumque, dirimit Matrimonium contractum, & reddit omnino inhabilem ad aliud contrahendum, non ſolum de jure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturæ; ſi autem ſit reſpectiva, quatenus quis ſit impotens ad certam determinatam Perſonam, non ad aliam, dirimit contractum cum ea, reſpectu cujus eſt impotens, & poteſt contrahere cum alia, in ordine ad quam ſit potens.

Decimum tertium impedimentum dirimens eſt Raptus, nomine cujus intelligitur violenta abductio Feminæ in locum aliquem ipſa invita ad finem contrahendi cum ea Matrimonium. Hoc impedimentum eſt inductum a jure novo Concilii Tridentini, in quo ſancitum eſt, inter Raptorem, & Raptam, quandiu ipſa manſerit in poteſtate Raptoris, non poſſe conſiſtere Matrimonium.

Verumtamen ſi rapta fuerit a Raptore ſeparata; & in loco tuto, & libero conſtituta, & conſenſerit illum habere in Vitrum; tunc poterit Raptor eam habere in Uxorem. Nihilominus Raptor, & omnes qui eidem conſilium, auxilium, & favorem præbuerint, incurrunt

ipſo

ipſo facto in excommunicationem, & in alias pœnas a Concilio ſtatutas. Et præterea Raptor Mulierem raptam, ſive in Uxorem ducat, ſive non, tenetur decenter arbitrio Judicis dotare.

Dixi *ipſa invita*. quia ſi Femina conſentiat raptui, tunc raptus non dirimit Matrimonium cum ipſa contractum, nec trahit pœnas latas contra Raptorem; quia tunc non militat ratio finalis Concilii. Ideo enim Concilium induxit tale impedimentum, & pœnas contra Raptorem, ut conſuleretur libertati Matrimonii, ne ſcilicet vis inferatur ipſi Feminæ, aut ne minus libere conſentiat in Matrimonium. Cum ergo in data hypotheſi conſenſus ſcilicet ipſius Feminæ in raptum ob Matrimonium ineundum, nulla vis eidem inferretur, ſed omnino libere conſentiret in Matrimonium, propterea &c. etiam ſi Parentes, aut ii, ſub quorum tutela, aut cura eſſet, diſſentirent, quia inquantum ad hoc eſt omnino impertinens conſenſus ſuorum, & aliorum quorumcumque.

Decimum quartum impedimentum dirimens Matrimonium eſt clandeſtinitas ejuſdem, ſi videlicet fiat ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis ab ipſo, ſeu ab Ordinario deputati, & duorum ſaltem, vel trium Teſtium; Matrimonium ſic contractum irritum eſt, ac nullum de jure novo Concilii Tridentini. Omnes ſupradicti debent eſſe præſentes non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, & modo humano ſufficienti ad teſtificandum in foro externo de Matrimonio in eorum præſentia celebrato.

Dices: Matrimonium Clandeſtinum ante Concilium Tridentinum erat validum; ergo etiam poſt, adeoque Concilium non potuit decernere nulla ea Matrimonia, quæ fierent ſi-

ne Parocho, & Teſtibus. Probo conſequentiam. Concilium non potuit mutare ſubſtantiam Matrimonii, ergo ſi clandeſtinum antea erat validum, etiam poſt.

Sed contra: Conc. antec. nego conſ. ad prob. dico, Concilium non mutaſſe ſubſtantiam Matrimonii, ſed ſolum addidiſſe conditionem, ſine qua non eſſet validum, quod certe potuit id præſtare; & ratio eſt, quia Chriſtus elevando Matrimonium ad rationem Sacramenti, ipſum elevavit, ut eſt contractus humanus legibus humanis ſubjectus, non definiendo leges ad validitatem Matrimonii, ut contractus eſt, ſed liberum relinquendo Eccleſiæ ad eas determinandas, prout eidem viſum eſſet expediens ad bonum commune ſpirituale. Igitur quod determinavit Concilium, non fuit mutare aliquid pertinens ad ſubſtantiam contractus Matrimonialis, ſed ſolum quod talis contractus non eſſet validus, niſi fieret coram Parocho, & Teſtibus, & ſic tantum conditionem, ſeu certam ſolemnitatem addidit, non autem ſubſtantiam immutavit, quare ſi illud tangit, tangit ut contractum, non autem ut Sacramentum.

Matrimonium antequam contrahatur debet proprius contrahentium Parochus juxta ſtatutum Concilii Tridentini ter publice in Eccleſia tribus diebus feſtis ſucceſſive occurrentibus illud denunciare Populo confluenti, ut innoteſcat, inter quos ſit contrahendum, ad hoc, ut ſcilicet, ſi aliquod legitimum impedimentum extet, detegatur.

Denunciationes hujuſmodi, cum ſint a jure præſcriptæ, ſecluſa diſpenſatione, nequeunt omitti abſque peccato gravi, & debent fieri ab utroque Parocho contrahentium, ſi ſint diverſæ Parochiæ, & ubi diutius habitarunt.

Poteſt tamen Epiſcopus juſtis de cauſis eas diſ-

diſpenſare, deſumptis prius ex Teſtibus fide dignis informationibus, contrahentes eſſe libe- liberos ab omni legitimo impedimento.

Quod ſi aliquando ſit expediens, ut *nullis* præmiſſis denunciationibus ſtatim deveniatur ad celebrationem Matrimonii, ſi nempe ſuſpicio probabilis habeatur, tale Matrimonium malitioſe poſſe impediri, ſi tot denunciationes, aut etiam una tantum præcederet, tunc eſſent faciendæ poſt Matrimonium contractum ante illius conſummationem, juxta diſpoſitionem Tridentini, niſi Ordinarius ipſe pro ſua prudentia expedire judicaverit, ut penitus omittantur.

Dixi *ante conſummationem*, nam in caſu, quo non eſſent pœnitus ab Ordinario remiſſæ, ſed poſtponantur, non poſſet lictie Matrimonium conſummari, quin prius eſſent factæ denunciationes omnes, ne ſcilicet qui tale Matrimonium contraxiſſent, ſe exponerent periculo fornicationis, ſi aliquod impedimentum legitimum extaret detegendum, vi cujus tale Matrimonium eſſet irritum ac nullum, quod bene eſt notandum, & toties peccarent mortaliter, quoties conſummarent ante executam diſpenſationem Concilii, de poſtponendis in eo caſu denuntiationibus, cum finis a Concilio intentus in præcipiendis denunciationibus ſit, ut ſi aliquod extet impedimentum, detegatur.

Hinc ſequitur deducendum; ſi quis ſciat adeſſe impedimentum aliquod, teneri ſub letali illud Eccleſiæ manifeſtare, quando tamen nulla detur rationabilis cauſa eximens a tali obligatione; tenetur, inquam, etiam ſi illud ſciat ſub ſigillo naturali.

Epiſcopus in impedimentis præciſe impedientibus, excepto voto caſtitatis, & Religionis abſoluto, & perfecto, poteſt diſpen-

ſare

ſare. In impedimentis vero dirimentibus diſpenſalibus per Eccleſiæ authoritatem, ſi ſint notoria, & publica non poteſt niſi Summus Pontifex; ſi autem ſint occulta, nec facile pateat aditus ad Summum Pontificem, & gravis urgeat neceſſitas vel immineat grave damnum, v. g. rixæ, homicidia, & periculum ſit in mora, Epiſcopus poteſt diſpenſare, tam ſi innoteſcat impedimentum poſt contractum Matrimonium, quam ſi innoteſcat antequam contrahatur.

Etiam quo ad delicta notoria, & deducta ad Forum contentioſum dirimentia Matrimonium in caſu extremæ,& urgentiſſimæ neceſſitatis poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia ſupponitur tacita facultas Pontificis, qui ad imitationem Chriſti non vult mortem peccatoris &c. debent tamen verificari ſupradicta motiva.

Propoſitio damnata ad hoc Caput reducenda.

Ab INNOCENTIO XI. 9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni pænitus caret culpa, ac defectu veniali.

Et hinc finem imponimus Quæſtionibus de ſeptem Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis. Utinam per hæc pro Mearum tenuitate virium explanata ita inſtruamur, ut per ipſa perducamur ad contemplanda in ſuo eſſe Myſteria, quæ non niſi in Ænigmate cognovimus.

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM.

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA.

Conſcientia, quæ eſt prima regula proxima morum, definitur Judicium, ſive dictamen practicum rationis, quo quis judicat, hic & nunc hanc, vel illam rem eſſe bonam, vel malam.

Quintuplex eſt, recta, erronea, dubia, probabilis, & ſcrupuloſa.

Conſcientia recta eſt, qua quis prudenter judicat bonum pro bono, & malum pro malo.

Erronea eſt, qua quis imprudenter determinate judicat bonum, ut malum, & malum ut bonum.

Dubia eſt, qua quis determinate neſcit an hoc ſit bonum hic & nunc, vel malum, ſive ſuſpendendo judicium ad utrumque, ſive poſitive dubitando.

Probabilis eſt, qua quis gravi ratione, vel doctorum authoritate ductus aſſentitur uni parti cum formidine oppoſiti ſaltem potentiali.

Scrupuloſa eſt, qua quis ex levibus fundamentis apprehendit, ac judicat peccatum eſſe, ubi non eſt: Unde qui ſæpe dubitat in omnibus de actione peccaminoſa, dicitur ſcrupuloſus.

Operans contra Conſcientiam rectam pec-

cat, quia operatur contra proximam Regulam bene operandi.

Operans contra Conſcientiam erroneam, ſi hæc eſt invincibilis peccat, quia habet affectum ad malum, operans vero juxta illam, non peccat; Hæc dilucidantur exemplo. Si quis citatus coram Judice ex errore invincibili judicaret, non mentiri cum gravi damno Proximi eſſe malum, & peccatum, mentiri autem in eo caſu, eſſe bonum, ſi non mentiretur peccaret, quia voluntas eſſet male affecta erga legem; non peccaret autem, ſi in eo caſu mentiretur ob contrariam rationem. Si verò Conſcientia erronea ſit vincibilis, peccat tam operando juxta, quam operando contra, quia tenetur vincere ignorantiam, & deponere errorem, & rectificare Conſcientiam conſulendo Auctores, vel Viros doctos.

Hinc cum quis peccat ex Conſcientia erronea, peccat vel mortaliter, vel venialiter, prout Conſcientia erronea dictat.

Inſuper qui copulam, v. gr. haberet cum Fœmina, quam ex errore judicaret eſſe conſanguineam, vel voto caſtitatis adſtrictam, & revera non eſſet, adhuc illa copula eſſet vel inceſtuoſa, vel ſacrilega, ſecundum dictamen Conſcientiæ erroneæ.

Conſcientia practice dubia eſt, qua quis hic & nunc operatur dubitans de bonitate, vel malitia objecti circa quod operatur.

Qui operatur cum Conſcientia practice dubia peccat, quia cum dubio practico non habet rectum dictamen, unde tenetur dubium deponere, & certificare moraliter Conſcientiam ſuam de honeſtate actionis: Et operans cum Conſcientia practice dubia, peccat peccato ejuſdem ſpeciei, de qua practice dubitat, ſic dubitans de mortali, operando cum tali dubio,

F 2 pec-

peccat mortaliter; ſi de veniali; venialiter.

Urgente neceſſitate alicujus operis faciendi, de quo quis practice dubitat an licitum ſit, nec ne; quæritur quid debeat facere, ut, vitet peccatum v.gr. qui dubitaret in hoc die Feſto, an liceat, ſive debeat relinquere Infirmum domi ſolum, ut ſacro interſit, an vero è contra. Reſp. ad hoc quæſitum debere ſe determinare ad unum, vel alterum adhibendo diligentiam in inveſtigandis rationibus, quæ tunc menti ſibi occurrunt, ita ut ſibi perſuadeat licitum eſſe aſſiſtere Infirmo, relicto ſacro, vel è contra, tenetur tunc ſtare illi dictamini practico. Quod ſi perpenſis rationibus hinc inde adhuc maneat anceps, & dubius, neque ſciat reſolvere hoc ſibi licere præ alio, debet facere id quod exiſtimat melius. Si tamen non diſcernat quale ſit melius, faciat tunc quod velit, judicando eſſe utrumque probabile, & ſic operando cum probabilitate, vitabit peccatum.

Si quis poſt adhibitam diligentiam ſufficientem adhuc dubitat an hic, & nunc urgeat præceptum audiendi Sacrum; in tali caſu non tenetur ad præceptum; quod idem valet de dubio voti, quia poſſeſſio ſtat pro libertate: ſi vero ſit certus de præcepto, & de voto, & dubius an præceptum, ſeu votum adimpleverit, tenetur adimplere, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto, & voto.

Adverte Conſcientiam poſſe eſſe dubiam, vel ſpeculative vel practice. Conſcientia ſpeculative dubia, eſt quando quis dubitat in genere, an hoc ſit licitum, vel illicitum, ver. gr. quando Ægrotus dubitat an teneatur, vel non recitare officium; vel quando quis dubitat an venari in die Feſto licitum ſit, vel non. Conſcientia practice dubia eſt, quando quis dubitat in particulari, an opus hic, & nunc licitum

ſit

ſit operanti, v. gr. an venari in hac magna ſolemnitate licitum ſit, an omiſſio divini Officii in hac infirmitate ſit licita.

Adverte inſuper Conſcientiam poſſe eſſe ſpeculative certam, & practice dubiam. Speculative certa, & practice dubia, eſt quando quis v. gr. Ægrotus eſt certus in infirmitate licere omiſſionem divini Officii, & dubius an ſibi liceat hic, & nunc, vel cum quis eſſet certus venari in die Feſto licitum eſſe, & dubius an id ſit licitum in hac magna ſolemnitate.

Cum dubio practico nunquam eſt licitum operari, ſed oportet quod Conſcientia reddatur practice certa, ut quis prudenter operetur. Sic Ægrotus dubitans an teneatur hic, & nunc recitare Officium, ſit practice certus accedente Conſilio Medici, viri ſapientis, Superioris, & Confeſſoris.

Poteſt quis inter duas opiniones æque probabiles ſequi prudenter alterutram. Opiniones æque probabiles ſunt in quibus dantur hinc inde rationes, hinc inde Doctores.

Inter opiniones autem, quarum una ſit minus probabilis, & alia probabilior, ſtandum eſt probabiliori, maxime in materia Sacramentorum, quando agitur de damno tertii, & in materia juſtitiæ ob propoſitiones a Sede Apoſtolica damnatas.

Scrupuloſus juxta judicium prudentis Confeſſarii, non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur operari contra dictamen Conſcientiæ ſcrupuloſæ, quæ cum moveatur ex levibus, & inſufficientibus fundamentis, non poteſt eſſet regula prudenter operandi.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VIII. 27. Si Liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

Ab INNOCENTIO XI. 2. Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Ab eodem 3. Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

Ab eodem 33. Videtur probabile omnem fætum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur, ac conſequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi.

Ab ALEXANDRO VIII. 5. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

C A P U T II.

DE PECCATIS.

Peccatum ex Divo Auguſtino eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, & ex Angelico Doctore eſt averſio a Deo, & Converſio ad creaturam. Definitio autem vitii eſt. Inclinatio ad pravos actus morales.

Peccatum dividitur in actuale, & habituale, actuale eſt quod actu committitur contra legem.

gem. Habituale eſt macula relicta in anima ex peccato actuali.

Item dividitur in mortale,& veniale:mortale eſt contra legem æternam, & privat hominem gratia ſanctificante, & charitate. Veniale eſt præter legem æternam, & privat hominem fervore Charitatis.

Item dividitur in peccata oris,cordis,& operis; oris blaſphemando Deum,injuriando Proximum &c. Cordis conſentiendo illicitis operis, ſacrum profanando, alienum furando &c.

Item dividitur in peccatum commiſſionis, & omiſſionis: commiſſionis eſt commiſſio actus prohibiti, v. gr. comeſtio carnium in die prohibito, adulterium, furtum, &c. Peccatum omiſſionis eſt voluntaria omiſſio operis præcepti, ut v. gr. omiſſio auditionis ſacri in die Feſto, omiſſio annuæ Communionis &c.

Peccata inter ſe ſpecie diſtinguuntur ex diverſitate ſpecifica objectorum, aut per oppoſitionem ad diverſam ſpecie virtutem; itaut idem materialiter, & entitative actus habere poſſit multiplicem ſpecie malitiam, per oppoſitionem ad multiplicem ſpecie virtutem, ut v. gr. occiſio Clerici erit in duplici ſpecie malitiæ, nempe in ſpecie homicidii, & in ſpecie ſacrilegii. Adulterium habet duplicem ſpecie malitiam, alteram contra caſtitatem, & alteram contra juſtitiam, frangendo fidem conjugalem, ſeu ob injuriam, quæ fit matrimonio.

Peccata vero ſolum multiplicantur numero, vel multiplicatis actibus quo ad idem ſpecie objectum, vel multiplicatis objectis, quo ad eundem phyſice actum, quando ſcilicet quis unico actu tendit ad plura numero objecta in eadem ſpecie. Exemplum primi eſt, ſi quis decies concupiſceret eandem Feminam.

Exemplum ſecundi, ſi quis unico actu concupiſceret decem Puellas, iſte enim actus eſſet quidem unus phyſice, & entitative, ſed multiplex moraliter; ſecus tamen loquendo de Furto plurium, v. gr. aureorum, quod aggravat quidem, ſed non multiplicat numero peccata.

Præcepta, contra quæ ſunt peccata, alia ſunt affirmativa, alia negativa. Prima ſunt, quibus præcipitur aliquid fieri, & ſe explicant per: *fac hoc &c.* ſecunda ſunt, quibus præcipitur aliquid non fieri, & ſe explicant per: *ne facias hoc, illud &c.*

Præcepta affirmativa non obligant ad ſemper, & pro ſemper, ut eſt v. gr. præceptum audiendi ſacrum, Communionis faciendæ &c. Negativa obligant ad ſemper, & pro ſemper, ut eſt præceptum, non furandi, non mentiendi, non fornicandi &c. Contra prima, peccatum eſt omiſſionis, quia eſt omiſſio operis præcepti. Contra ſecunda, peccatum eſt commiſſionis, quia eſt commiſſio operis prohibiti.

Circa eandem materiam poteſt intervenire utrumque præceptum, affirmativum ſcilicet, & negativum, ut v. gr. in ſanctificatione Feſti intervenit præceptum audiendi ſacrum, quod eſt affirmativum, & præceptum non faciendi opus ſervile, quod eſt negativum; Similiter in jejunio intervenit, utrumque præceptum, affirmativum ſcilicet faciendi unicam comeſtionem, & negativum abſtinendi a carnibus.

Hinc toties quis peccaret, quoties in die feſto faceret opus ſervile, & toties quis peccaret, quoties comederet carnes in die prohibito.

Peccatum veniale non poteſt tranſire in mortale, quia eſſentia rei eſt invariabilis, cum non poſſit dari tranſitus de ſpecie in ſpeciem.

Ad-

Adverte, quod eadem materia eſſe poteſt quo ad diverſas circumſtantias materia peccati mortalis, & peccati venialis. Ut v. gr. idem verbum contumelioſum dictum contra Ruſticum, & contra Principem, eſſet veniale reſpectu Ruſtici, & mortale reſpectu Principis. In quo caſu veniale non tranſiret in mortale, ſed eadem materia induit malitiam diverſam ex diverſitate Perſonæ, quam afficit.

CAPUT III.

DE ACTIBUS IMPUDICIS.

Septem ſunt ſpecies actuum impudicorum contra virtutem caſtitatis, nempe, fornicatio, ſtuprum, adulterium, inceſtus, raptus, ſacrilegium, & peccatum contra naturam, quod ſubdividitur in quatuor alias ſpecies, quæ ſunt mollities, inordinatus concubitus, ſodomia, & beſtialitas.

Fornicatio eſt illicitus concubitus ſoluti cum ſoluta in vaſe naturali cum conſummatione intra idipſum vas. Ad ſpeciem fornicationis reducitur concubinatus, qui eſt frequens copula illicita cum Femina, quam quis retinet in propria poteſtate, ac ſi eſſet Uxor. Concubinarius non eſt abſolvendus, donec dimiſerit Concubinam, & dederit pœnitentiæ ſigna.

Stuprum eſt defloratio Puellæ virginis per fractionem Clauſtri virginalis ſecutam per copulam conſummatam, & hoc peccatum ultra malitiam fornicationis, habet alteram oppoſitam bono ſpirituali integritatis.

Unde etiam ſi ipſa Puella conſentiret tali copulæ, non per hoc deſineret eſſe ſtuprum, quia adhuc haberet ſpecialem malitiam oppoſitam bono ſpirituali integritatis; cui bono

Puella non poteſt renuntiare, cum non ſit a natura conceſſum liberæ diſpoſitioni ipſius, niſi ob bonum Matrimonii, adeoque conceſſum, ut ſervetur intactum uſque ad nuptias, & inſuper ut propter illum retrahatur Femina a via meretricandi.

Dices: volenti, & conſentienti non fit injuria, ergo copula cum Puella virgine conſentiente non eſt ſtuprum; conſeq. patet, quia ad ſtuprum requiritur violentia.

Sed contra diſt. ant. conſentienti non fit injuria, in iis quæ ſunt ſui juris, conc. in iis, quæ non ſunt ſui juris, nego ant. ſeu etiam diſt. ſic, non fit injuria ipſi Puellæ concedo, non fit injuria ipſi naturæ, neg. ant. & conſ. ad cujus probationem nego violentiam Puellæ eſſe neceſſariam ad rationem ſtupri, cum etiam ſecluſa violentia, & ſuppoſito conſenſu ipſius Puellæ, adhuc copula eſſet ſtuprum ob violationem clauſtri virginalis, quod clauſtrum ſive ſignaculum virginale non ſubeſt libertati virginis, utpote illi tantum a natura conceſſum, ut ſervet intactum uſque ad nuptias. Et ſicuti clericus non poteſt licite, & valide renunciare privilegio Canonis, non ſibi conceſſo, ſed ſtatui clericali, ita Puella virgo non poteſt renunciare ſignaculo virginitatis non ſibi conceſſo, ſed bono Matrimonii. Item ſicuti marito conſentiente in copula illicita ſecuta cum ejus Uxore non desineret eſſe adulterium, ita a pari.

Adulterium eſt copula conſummata cum Uxorata, & hoc peccatum habet duplicem ſpeciem malitiæ, alteram luxuriæ oppoſitam virtuti caſtitatis, & alteram injuſtitiæ contra fidem conjugalem. Unde ſi adulterium fieret inter Uxoratum, & Uxoratam, committeretur duplex injuſtitia neceſſario in Confeſſione exprimenda.

Adul-

Adultera ſi ex alieno ſemine conciperet filium, non tenetur crimen ſuum revelare; ne ſe ipſam prodat aperiendo tam grave crimen, ex quo reſultaret infamia, & periculum vitæ. Tenetur tamen adultera compenſare aliis viis, ſi poteſt, damna legitimorum, ad quod etiam tenetur adulter.

Inceſtus eſt copula conſummata in vaſe naturali inter conſanguineos, vel affines in gradibus prohibitis conſanguinitatis, vel affinitatis; Et malitia inceſtus conſiſtit in irreverentia facta ſanguini, ac naturæ, quatenus natura dictat reverentiam præſtandam eſſe propinquis; inter quos ideo matrimonia ſunt prohibita.

Licèt inceſtus ſit proprie ſolum inter marem, & Fœminam conſanguineos, vel affines in vaſe naturali; tamen etiam ſi ſit in vaſe non naturali inter eoſdem conſanguineos, vel affines, erit aperienda in Confeſſione circumſtantia conſanguinitatis, ſeu affinitatis, quia actus adhuc contrahit ſpecialem malitiam irreverentiæ &c.

Et hic noto, quod ut inceſtuoſus bene conſulat conſcientiæ ſuæ, debet exprimere in Confeſſione gradum conſanguinitatis, ſeu affinitatis, in quo commiſit inceſtum.

Dices: gradus conſanguinitatis, & affinitatis ſunt ejuſdem ſpeciei, quia reverentia debita propinquis non admittit diverſitatem ſpeciei, ergo non ſunt neceſſario diſtinguendi in confeſſione, ſed ſufficit dicere in confeſſione ſe commiſiſſe inceſtum, quin exprimat in quo gradu commiſerit.

Sed contra diſt. ant. ſunt ejuſdem ſpeciei phyſice, conc. moraliter, nego. Reſponſio patet ex terminis.

Raptus eſt peccatum, quo quis abducit Puellam invitam domo ſua, vel Parentum,

 aut

aut eorum, in quorum cura eſt ad effectum, vel explendi libidinem cum ea, aut ineundi Matrimonium cum eadem; ejus malitia conſiſtit in violentia, quæ infertur.

Hinc ad raptum requiritur abductio e domo, quia ſi in eadem domo abduceretur Puella de uno cubiculo in aliud, ſeu in interiorem partem domus, vel ſi Puella in agro exiſtens ad cuſtodiam Gregis, abduceretur in Sylvam ibi propinquam cauſa commodioris copulę habendæ, non eſſet raptus.

Sacrilegium eſt peccatum laſciviæ commiſſum cum perſona Deo ſacrata, vel per ordinem ſacrum, vel per profeſſionem religioſam, vel per votum ſimplex caſtitatis, aut commiſſum in loco ſacro, nempe in Eccleſia, vel Cæmeterio. Nomine Eccleſiæ veniunt etiam Oratoria publica, non tamen privata in domibus privatis, neq; Sacriſtia.

Malitia ſacrilegii in genere luxuriæ conſiſtit in irreverentia quæ fit Deo, dum polluitur perſona, vel locus Deo ſacratus. Hinc ſi fit cum perſona Deo dicata, & in loco ſacro, multiplex erit peccatum ſacrilegii, ratione multiplicis irreverentiæ ex circumſtantia perſonæ, & loci.

Peccatum contra naturam eſt actus libidinoſus extra vas naturale inſtitutum a natura ad generationem. Et ejus prima ſpecies eſt mollities, quæ eſt voluntaria ſeminis effuſio extra vas, & poteſt etiam induere aliam ſpeciem libidinis objective, puta ſi quis ſe polluendo cogitaret, ac concupiſceret conſanguineam, vel Perſonam Deo ſacratam, vel uxorem, vel liberam &c. Unde in Confeſſione tenetur nedum exprimere actum voluntariæ pollutionis, ſed etiam qualitatem Perſonæ, & actus quem in mente volvebat ſe polluendo.

Inordinatus concubitus eſt modus extraordina-

na-

narius habendi copulam, qui modus in duobus caſibus eſt peccatum letale. Primo ſi ſeminis effuſio accidat extra vas debitum, ſecundo ſi ſit impeditivus prolis. Extra hos duos caſus eſt tantum veniale, & quandoque nullum eſt peccatum, ſi neceſſitas id poſtularet, ut in prægnantibus.

Sodomia proprie accepta eſt actus libidinoſus conſummatus inter maſculos in vaſe non naturali. Large, & improprie accepta eſt actus libidinoſus conſummatus maſculi cum fœmina in vaſe non naturali. Dixi conſummatus, nam ſi effuſio ſeminis fieret extra vas non naturale, tunc erit ſodomia imperfecta quæ non ſolet eſſe reſervata.

Beſtialitas eſt coitus hominis cum beſtiis, & probabiliter ſpecie differt, ſi fiat, vel cum maſcula, vel cum fœmina.

Ad ſpeciem beſtialitatis reducitur etiam coitus hominis cum Dœmone, ſive incubo, ſive ſuccubo, quia Dœmon revera non habet corpus reale humanum, ſed ſolum apparens, & aſſumptum.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad obleƈtamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ æpulæ tedio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

Ab

Ab INNOCENTIO XI. 48. Jam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt, unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona; & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

CAPUT IV.

DE DELECTATIONE.

DElectatio moroſa eſt voluntaria, & deliberata complacentia in re turpi ſine ordine ad opus; & dicitur moroſa non a mora temporis, ſed a mora rationis. Delectatio moroſa eſt peccatum mortale; poteſt tamen quandoque eſſe tantum veniale, ratione indeliberationis voluntatis, & ſemiplenæ advertentiæ.

Concupiſcentia, ſeu deſiderium libidinoſum eſt actus voluntatis, quo quis deliberate cupit exequi, & facere actum libidinoſum, & eſt peccatum mortale, ejuſque malitia cum oriatur, & ſpecificetur ab opere quod quis intendit facere, diverſificatur ſpecie ex diverſitate ſpecifica operum, ac proinde erit aperienda in Confeſſione circumſtantia, ſeu qualitas objecti concupiti, ſeu operis intenti.

Tactus partium impudicarum, ſive inter Perſonas diverſi ſexus, ſive ejuſdem, ſunt peccatum mortale ob delectationem carnalem, quæ inde conſurgit per ſe, & ex natura ſua. Unde tangens impudice Fœminam, tenetur exprimere qualitatem perſo-

næ,

næ, quia hoc peccatum conſiſtit in actu externo, qui ſpecificatur ab objecto.

CAPUT V.

DE MENDACIO.

MEndacium eſt locutio deformis menti loquentis, cum ſcilicet verba exterius prolata, nec ex ſe, nec ex circumſtantiis externis exprimunt objectum; prout eſt in mente loquentis: mentiri enim idem ſonat, ac contra mentem ire.

Mendacium eſt ab intrinſeco malum: eſt enim contra finem locutionis humanæ a natura inſtitutæ, ut verba conſonent menti, ne pervertatur modus convivendi humanus,& aditus aperiatur dolis,& deceptionibus cum maximo detrimento boni Reipublicæ humanæ. Etenim cùm Homines non poſſint internos aliorum conceptus penetrare, & cognoſcere, natura inſtituit verba, & ſigna externa, quibus interni conceptus manifeſtentur, ut ſocietas, & humanum commercium adeo neceſſarium bono Reipublicæ humanæ inviolabiliter conſervetur.

Ex nulla unquam cauſa licitum eſt mentiri, ſed unuſquiſque tenetur dicere veritatem, ideſt loqui conformiter ad conceptum mentis, ita dictante ipſo jure naturali, ne proximus decipiatur.

Utrum autem ad illam dicendam poſſit quis uti verbis æquivocis, ſeu amphibologicis cum reſtrictione mentali, videbitur infra ubi de juramentis.

Dividitur mendacium, in jocoſum, officioſum, & pernicioſum. Jocoſum eſt locutio deformis menti loquentis recreationis cauſa. Officioſum eſt locutio deformis menti loquentis

gra-

gratia ſui, vel alterius, ſeu cauſa utilitatis propriæ vel alienæ citra damnum tertii. Perniciosum eſt locutio deformis menti loquentis in damnum Proximi. Prima duo non excedunt malitiam peccati venialis. Ultimum autem eſt mortale, aut veniale, juxta gravitatem, vel levitatem damni, quod intenditur Proximo.

CAPUT VI.

DE JURAMENTO.

JUrare, eſt vocare Deum in Teſtimonium dicti, ſeu vocare Deum in Teſtem veritatis. Juramentum ſi fiat debitis modis eſt licitum, & meritorium. Eſt enim actus Latriæ, quo quis honorat Deum, ut primam veritatem eam interponendo, ut id quod dicitur reddatur fide dignum, & fides, quæ homini dicenti negatur, præſtetur Deo invocato.

Tres conditiones requiruntur ad hoc ut juramentum ſit licitum, nempe veritas, judicium, & juſtitia. Juramentum cum veritate eſt, quando quis jurat de re, quam prudenter exiſtimat eſſe veram, vel cum habet animum adimplendi id quod jurat. Juramentum cum judicio eſt, quando quis juſta interveniente cauſa jurat reverenter cum advertentia in materia honeſta. Juramentum cum juſtitia eſt, quando quis jurat ſine offenſione, & damno proximi: contra hanc conditionem faceret jurans coram Amico ſe vidiſſe talem Feminam fornicantem. Defectu primæ conditionis juramentum eſt mortale. Defectu ſecundæ eſt veniale, quando ſciret jurare abſque neceſſitate. Defectu tertiæ regulariter eſt mortale, ſi videlicet injuſtitia ſit gravis.

Juramentum quatruplex eſt, nempe aſſertorium,

rium, promiſſorium, comminatorium, & execratorium. Aſſertorium eſt, quando aliquid præſens; vel præteritum affirmamus, vocato Deo in teſtimonium dicti, ut cum quis jurat hoc eſſe vel non eſſe, hoc feciſſe, vel non feciſſe.

Juramentum promiſſorium eſt quando quis promittit aliquid de futuro, adducendo Deum in teſtem, ut illum, cui facta eſt promiſſio, certiorem reddat de rei promiſſæ adimpletione, ad quod requiritur, quod habeat verum animum adimplendi promiſſum, ſecus ficte promitteret, & falſo juraret.

Juramentum comminatorium eſt, quando quis vocans Deum in teſtem, jurat ſe daturum alicui pœnam.

Juramentum execratorium eſt, quo quis in confirmationem ſuorum dictorum invocat creaturas aliquas, in quibus juſtitia Dei elucet, ut ab iis in caſu mendacii, & falſitatis puniatur, ut v. g. ſi quis dicat: poſſim illico fulmine percuti, aut mori, aut nunquam ab hinc diſcedere, vel Dæmon me arripiat &c. ſi hoc non eſt verum. Cavendum tamen eſt ab hiſce juramentis execratoriis ob ſcandalum, quod communiter generant.

Dupliciter Deus invocari poteſt in juramento, ſeu adduci in Teſtem. Primo expreſſe dicendo, juro per Deum, per Trinitatem, per Chriſtum. Secundo tacite, ut quando quis jurat per Evangelium, vel per Crucem, aut per Creaturas, ut dicentes ordinem ad Deum, cum ſcilicet quis jurat per Sanctos, per Angelos, per Animam rationalem, per Cœlum, per Solem &c. maxime ſi addatur in obliquo nomen Dei, dicendo, per hanc Animam Dei, per illum Solem Dei, per hunc ignem Dei &c.

Juramentum & invocatio Divini Nominis, non eſt neceſſe quod fiat verbis, ſed poteſt etiam

etiam fieri nutu, ſignis, & mente, ut evenit quando quis rogatus ut juret, manu tangit Crucem, aut librum Evangeliorum, vel aliud ſignum facit, quo ſe jurare oſtendit, vel ſi ſubſcribat ſcripturæ continenti formam juramenti. Item poteſt fieri ſola mente, ut ſi quis in corde ſuo juret, ac promittat ſe aliquod facturum, tenetur in foro Conſcientiæ ex virtute Religionis, quia jam invocat Deum in confirmationem ſuæ promiſſionis, licet in foro externo manifeſtari debeat aliquo externo, ut conſtare poſſit alteri parti acceptanti, & ut promiſſio ex vi juſtitiæ reddatur irrevocabilis.

Ad juramentum requiritur intentio expreſſa, aut ſaltem tacita, qua quis prudenter judicetur ſe vocare Deum in confirmationem, vel teſtimonium ſui dicti. Sine hac intentione quibuſcumque terminis quis juret, ſolum materialiter dicitur jurare, & eſt potius invocans Dei nomen in vanum, quam iurans, vel perjurans.

Hinc ut plurimum dicentes, per Deum, in fide Sacerdotis, Chriſtiani veri, per veritatem Dei, & ſimilia, cenſetur has voces adhibere ad exaggerationem, & energiam locutionis potius quam intendant, ac velint vocare Deum in teſtimonium. Unde ſi per lapſum linguæ, & inadvertenter adhibent tales voces in mendacio, ac falſitate, non ſunt cenſendi peccare letaliter, ſed ſolum venialiter ratione irreverentiæ.

Si quis juret falſum, in materia ſive gravi, ſive levi, ſi juret cum advertentia, ſemper peccat mortaliter, & dicitur perjurare, unde juramentum falſum dicitur perjurium quod eſt ſemper grave.

Dices: furtum in re levi eſt ſolum veniale, ergo etiam juramentum falſum in re levi erit tantum veniale. Prob. conſ. Ideo primum, quia in furto datur parvitas materiæ, ſed etiam

in

in juramento dari poteſt parvitas materiæ. Ergo &c.

Sed contra conc. antec. nego conſeq. diſp. eſt, quia in furto attenditur quantitas materiæ, quæ cum ſit ſuſceptiva magis, & minus, ideo dari poteſt furtum ſolum eſſe veniale ob parvitatem materiæ leviter damnificativam Proximi. At in juramento non attenditur quantitas materiæ, ſeu rei in qua juratur, ſed attenditur divinum nomen, quod vocatur, & interponitur in teſtimonium dicti, quod cum indiviſibiliter informet quodcumque dictum pro quo credendo interponitur, ideo fit ſemper gravis irreverentia, & contemptus Deo, quoties adducitur in teſtem falſitatis, tam in re gravi, quam in re levi, quinimo magis in re levi, quam in re gravi, ut infra dicetur.

Utrum iſti modi, quos ſolent homines adhibere, ut fides præſtetur ſuis dictis, cum ſcilicet dicunt, ita eſt: *in mia coſcienza, per fede mia, per l' anima mia, per queſt' anima, che ho da rendere a Dio. E' vero che ho da morire, sì certo, per verità, in verità, è così, in realtà; sì da Criſtiano, da Sacerdote, da Religioſo che ſono*; & ſimilia, utrum ſcilicet contineant juramentum.

Reſpondetur has formulas ex communi uſu, & conſuetudine non eſſe juramentum, præciſa intentione vere jurandi, quia faciunt hunc ſenſum, ita eſt ſicuti ſentio in mea conſcientia, & in corde meo, ſeu ſicut dictat mea conſcientia, & quando dicitur, in fide mea, in fide bona, non intelligitur fides Divina, ſed fides aut fidelitas humana. Alia verba faciunt ſenſum, quod quis loquitur ea veritate, qua loqui debet Chriſtianus, Sacerdos, vel Religioſus, & ſic veritas aſſerta ſemper fundatur in fidelitate humana, quæ eſt inſufficiens ad verum juramentum.

Juramentum factum pro re bona, & honeſta quan-

quantumvis levi, ac etiam pro re ex natura ſua indifferenti ob motivum honeſtum, obligat, ut ſervetur.

Si quis juraſſet facere rem malam, non tenetur eam adimplere, quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis, unde male feciſſet jurando, & pejus faceret obſervando juramentum; & ſicuti non obligat votum factum de re mala, ita neque juramentum &c. utraque enim obligatio eſt a Deo, in voto quidem obligamur Deo debito fidelitatis, in juramento autem debito reverentiæ.

Quacumque ex cauſa jurare ſine animo jurandi, ſive in re gravi, ſive in re levi, nunquam eſt licitum, & oppoſitum eſt damnatum ab INNOCENTIO XI. ut infra videbis; ratio eſt, quia jurare ſine animo jurandi, eſt mentiri: ſed mentiri nunquam eſt licitum; ergo nunquam licitum eſt jurare ſine animo jurandi: tum quia uſurpare Nomen Dei in vanum illicitum eſt, ſed jurare ſine animo jurandi eſt &c. ergo &c. tum quia ſemel admiſſo poſſe Deum ſimulatè invocari ſine animo jurandi, fruſtraretur finis juramenti, qui eſt veritatis confirmatio, & terminatio controverſiarum, quod vergeret in magnum Reipublicæ damnum, ſicut etiam mendacium in illud vergeret, ſi aliquando liceret; quia rueret finis locutionis, qui eſt arcana mentis manifeſtare, unde ſicut nunquam eſt licitum mentiri quacunque ex cauſa, ita nunquam licitum eſt jurare ſine animo jurandi, quia rueret finis juramenti cum magno Reipublicæ damno.

Juramentum promiſſorium metu gravi extortum, obligat ut ſervetur, modo non ſit tale, quod ſervatum vergat in interitum animæ, ideſt modo queat obſervari abſque peccato. Et ratio eſt, quia jure naturæ, & Religionis tenemur

mur efficere, ut verum ſit quod juramus, ne Deum Teſtem falſi faciamus; hoc enim eſſet magna Divinæ Majeſtatis injuria, quam ne committamus, potius debemus damnum temporale ſubire, quam æternum.

Hinc captus a latronibus, ſi cum juramento illis promittat daturum tantam pecuniam pro conſervatione vitæ, tenetur ex virtute Religionis, & ob reverentiam erga Deum, quem in Teſtem vocavit, ſolvere; nam & ſi Latro eam recipere non poſſit abſque peccato injuſtitiæ, tamen qui juravit eam dare, non poteſt ſine peccato non dare, ſic enim ait, & rationem affert D. Thom. quia ex juramento alteri facto; duplex conſurgere poteſt obligatio, altera homini, ratione promiſſionis factæ, & hæc tollitur per coactionem, quia ille, qui vim attulit, hoc meretur, quod ei promiſſio non ſervetur; altera, qua quis Deo obligatur, ut impleat id, quod per ejus nomen promittit, & hæc obligatio non tollitur in foro conſcientiæ; quia magis debet damnum temporale quis ſuſtinere, quam juramentum violare. Verum tamen eſt, quod ſic ſolventi, competit jus petendi relaxationem juramenti, & repetitionem ſoluti.

Ubi intervenit dolus, vel error dans cauſam contractui, ſeu promiſſioni, & juramento, non tenet juramentum, neque contractus ob defectum conſenſus, cum ad illius valorem, verus & voluntarius conſenſus requiratur.

Si quis detentus in carcere promittat ire in propriam Domum, præſtito juramento ad carcerem redeundi, tenetur redire, etiam cum diſcrimine vitæ, ſi carcer ſit juſtus, & mortis ſententia juſta; nam talis reditus eſt honeſtus, nec non fidelitati Religionis, & juſtitiæ debitus, ac proinde obligat juramentum de tali reditu

ditu factum, nec obſtat jus Divinum, ac naturale conſervandæ vitæ; nam tunc ſolum viget, quando quis habet jus formatum ad illam conſervandam, ſecus autem ſi ſecus, ut contigit in hoc carcerato, qui ſupponitur reus mortis.

At ſi carcer ſit injuſtus, & mors injuſte inſligenda, poteſt non redire, petendo tamen, & obtinendo relaxationem juramenti facti. Dummodo tamen non ſit in caſu, quo non redeundo in carcerem poſt juramentum præſtitum oriatur ſcandalum, ſeu aliqua injuria irrogetur Religioni Chriſtianæ, ſi quis captivus apud Turcas permittatur redire in Patriam; prævio juramento redeundi, aut mittendi pretium pro ſua redemptione, tunc enim teneretur redire, aut mittere pretium, ne cum ſcandalo, & detrimento Religionis Chriſtianæ arbitrentur infideles Religionem juramenti apud nos parvipendi, & non æſtimari.

Quæritur utrum obligatio juramenti tranſeat ad hæredes, quæſitum procedit de juramento promiſſorio. Unde

Reſpondetur, diſtinguendo duplicem obligationem, alteram propriam juramenti, alteram juſtitiæ ortam ex promiſſione: Prior obligatio cum ſit perſonalis, & afficiens ſolum jurantem, non tranſit ad hæredes; poſterior vero, cum ſit realis, utique tranſit ad hæredes; nam hæres adeundo hæreditatem, contrahit obligationem ſolvendi omnia Defuncti debita, & onera realia, & ſic tenetur etiam ſatisfacere pro ejus promiſſione, non quatenus juramentum eſt, ſed quatenus promiſſio eſt.

Juramenta facta contra juſtitiam, nempe ſi damnum ſit proximi, non obligant, neque obligant, quæ ſunt facta contra meliora bona; ut ſi quis jurat, ſe nunquam facturum eleemoſynam, ſe nunquam daturum in mutuum &c.

quia

quia hæc repugnant Christianæ pietati; quia tenemur viciſſim Nobis ſubvenire. Nec item, ſi quis juraret ſe nolle emere carioti pretio, aut vendere tali pretio res ſuas, quia hoc juramentum cum non contineat obſequium Dei, ſed ſolum utilitatem jurantis, poteſt jurans ſe ipſum diſpenſare.

Sic etiam Domini jurantes, ſe dimiſſuros famulos, vel Parentes ſe percuſſuros Filios, vel Pueri jurantes ſe apud magiſtrum accuſaturos ſocios de aliquo crimine, quia hæc juramenta ſunt potius ſub ratione culpæ, quam ſub motivo virtutis, ſunt nempe regulata ex ira, vel vindicta; Et quando etiam juraſſent ex motivo bono correctionis, poſſunt omittere ad cavendas rixas, & diſcordias ad invicem, vel ſi emendatio ſecuta ſit, aut proxime ſperetur.

Denique etiam jurans ſe nolle primum ingredi, vel egredi ab aliquo loco, quia hæc juramenta ſunt facta urbanitatis gratia, & ex levitate tali, quæ non ſufficit ad inducendam obligationem ſub mortali.

Utrum quis poſſit ſine peccato exigere juramentum a ſolito pejerare. Dico, ſi adſit neceſſitas, nullum peccatum eſt, quia unuſquiſque juſte ac licite providet ſibi mediis neceſſariis ad proprii negotii ſecuritatem; neque intendit perjurium, ſed ut jurans modo humano meliori ſe obliget.

Jurantes falſum, & violatores juramenti debitis modis facti, ſunt perjuri, & ſacrilegi. Quia ſicut juramentum verum eſt actus Latriæ & Religionis, quo quis honorat Deum, ita juramentum falſum eſt actus irreverentiæ, & contemptus Dei oppoſitus virtuti Religionis, & ideo eſt ſacrilegium, & perjuri ſunt ſacrilegi.

Utrum ad veritatem dicendam licitum ſit quandoque uti verbis æquivocis, ſeu amphibolo-

bologicis cum aliqua reſtrictione mentali, & aſſertam veritatem ſub æquivocatione, ſeu amphibologia juramento firmare.

Doctores omnes concordant non licere uti verbis æqivocis, ſeu amphibologicis abſque gravi, & rationabili cauſa, multoque minus juramento firmare ea, quæ ſub æquivocatione, & amphibologia dicuntur, quia tota deſtrueretur civilis, & politica ſocietas, & humanum commercium, ſi abſque juſta cauſa poſſet homo loqui, & jurare in ſenſu diverſo ab eo, quem audientes communiter percipiunt, multiſque dolis, & deceptionibus aditus aperiretur cum graviſſimo præjudicio humanæ ſocietatis, & humani commercii.

Verum tamen juſta interveniente cauſa ad veritatem occultandam, quam quis iure naturali tenetur occultare, vel quam quis non eſt obligatus manifeſtare, licitum eſt uti verbis æquivocis, ſeu amphibologicis cum reſtrictione non pure mentali, ſed reali, & ſenſibili, quando ſcilicet attentis circumſtantiis loci, temporis, & Perſonæ loquentis, ac modi interrogandi verba intelligi poſſunt, & debent iuxta intentionem loquentis, & in eodem ſenſu inſertam veritatem iuramento firmare.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25 Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26 Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreatio-

tionis cauſa, ſive quocunque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe; aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodcumque aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27 Cauſa juſta utendi his amphibologiis, eſt quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Laicalem dignitatem, & honorem vel ad aliquod officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

CAPUT VII.

DE VOTO.

VOtum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio facta Deo de meliori bono: dicitur promiſſio ad differentiam ſimplicis propoſiti. Et enim promiſio differt a ſimplici propoſito in hoc, quod promiſſio ex genere ſuo inducit obligationem adimplendi id, quod promittitur, propoſitum autem ex ſe non inducit talem obligationem.

Dicitur deliberata, quia ad votum, ſicut ad iuramentum requiritur plena deliberatio, & perfecta cognitio illius quod fit; eſt enim votum lex quædam privata, quam quis ſibi imponit, & Deo ſe obligat, nemo autem vere cen-

ſetur ſe obligare, niſi plenam habeat cognitionem, & deliberationem eius, quod facit: quapropter vota puerorum ante perfectum uſum rationis non tenent, multoque minus tenent vota, ſi quæ fierent ab ebriis, amentibus, dormientibus, & a quibuſvis non habentibus plenam cognitionem, & deliberationem rei, quam promittunt, & obligationis quam aſſumunt. Nec ſufficit ad votum ſemiplena deliberatio. Requiritur ergo, & ſufficit tanta cognitio, & deliberatio, quanta eſt neceſſaria, & ſufficiens ad peccatum mortale.

Si quis voto facto dubitet, an illud fecerit ex ſufficienti deliberatione, cenſendum eſt illam adfuiſſe, quia poſſeſſio, & præſumptio ſtat pro voto; nam quando certum cum incerto concurrit, poſſeſſio regulariter ſtat pro eo, quod eſt certum: cum ergo in præſenti caſu ſupponatur votum fuiſſe certo factum, & tantum dubitetur an ex ſufficienti deliberatione, ideoque poſſeſſio ſtat pro voto, quod proinde dicendum eſt obligare. Idem dicendum quando certo conſtat votum fuiſſe factum, & dubium eſt, an fuerit adimpletum. Si autem dubium ſit, an quis vere votum emiſerit, vel ſolum habuerit ſimplex propoſitum, tunc poſſeſſio ſtat pro libertate, qua quis non debet cenſeri privatus, niſi certo conſtet, & ſic præſumendum in tali caſu votum non fuiſſe factum.

Si interdum accidit voventem poſt votum factum ſtatim illius pœnitere, id non eſt argumentum ſufficiens ex ſe præciſe inferendi votum non fuiſſe factum cum perfecta cognitione & deliberatione, cum ſæpe actus plene deliberatus a nobis ſtatim retractari ſoleat ob novam difficultatem, conſiderationem, aut circumſtantiam; homo enim facile mutatur, mutatis circumſtantiis, & multi multos contra-

ctus ineunt, quos ſtatim pœniteret celebraſſe, nunquid non tenentur?ergo &c.

Dicitur promiſſio facta Deo, quia cum votum ſit actus Religionis, & Latriæ, ſoli Deo fieri debet immediate, expreſſe, vel tacite: Unde vota, quæ fiunt Sanctis, referuntur ad Deum, & fiunt Deo in honorem Sanctorum, nam in Sanctis ipſum Deum colimus, & veneramur, quo modo fit ut Templa, & Altaria ædificamus Deo in honorem Sanctorum, vel etiam voveamus Sanctis interceſſoribus ad conſequendum id, per quod vota emittimus.

Hæc autem promiſſio quæ rationem voti habet,non eſt neceſſe, quod fiat per externam locutionem, & exprimatur per verba, vel alia ſigna externa, ſed ſufficit, quod eliciatur per ſolum actum locutionis interioris, eo enim ipſo quod eſt intus deliberate concepta cum plena deliberatione, ſtatim a Deo acceptatur, & obligat ad differentiam promiſſionis, quæ fit in humanis, quæ neceſſe eſt, ut indicet verbis, vel aliis ſignis exterioribus, quibus ſufficienter manifeſtetur, cum non poſſit cognoſci ab homine cui fit, nec ab ipſo acceptari, niſi ſit ei per externa ſigna manifeſtata, quia ut habetur 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.*

Dicitur tandem de meliori bono; quia ad votum requiritur, ut illud, quod vovemus, ſit opus bonum, ſive deinde tale opus ſit aliunde præceptum, ſive non, & inſuper requiritur ut bonum illud ſit melius, quam eius oppoſitum, itaut ex ſe non ſit impeditivum alterius excellentioris, & perfectioris: nam materia voti debet eſſe aliquid Deo gratum, quod autem eſt impeditivum alterius operis excellentioris, & perfectioris, non eſt Deo gratum, nec ab eo acceptatur promiſſio facta de tali bono.

Hinc matrimonium regulariter loquendo non eſt apta materia voti, quia virginitas melior eſt matrimonio: unde ipſa ſemper eligi poteſt, & licite conſervari, non obſtante voto de matrimonio contrahendo.

Dixi regulariter loquendo, quia ſi quis frequenti periculo peccati carnis ſit obnoxius, licite poterit facere votum aſſumendi ſtatum matrimonialem, tamquam remedium ſuæ concupiſcentiæ; juxta illud mei Apoſtoli; *Melius eſt nubere, quam uri*.

Hinc votum de re pure indifferenti nullo ſibi propoſito fine honeſto non eſt validum, neque obligatorium, quia votum cum ſit actus Religionis, neceſſario eſſe debet de materia Cultui Divino deſerviente, quæ ſit Deo grata, & melior quam ejus oppoſitum, cujuſmodi non eſt res pure indifferens, quæ proinde nequit eſſe materia voti.

Præterea votum eſſe debet de re poſſibili voventi, itaut non teneat ſi fiat de re phyſice, aut moraliter impoſſibili, quia tale votum habetur tamquam non factum, tum quia votum cum ſit quædam lex privata, qua quis ſe obligat, nemo poteſt ſe obligare ad impoſſibile.

Votum multipliciter dividi ſolet. Et primo dividitur in ſimplex, & ſolemne: votum ſimplex conſiſtit in nuda, & ſimplici promiſſione Deo facta ſine alia ſolemnitate, & poteſt fieri per ſolum actum internæ locutionis, ut ſupra dixi. Votum ſolemne conſiſtit in quadam actuali dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis acceptatæ ab eo, qui vicem Dei tenet cum quadam ſolemnitate ab Eccleſia inducta, cujuſmodi eſt votum Religionis approbatæ emiſſum in illius profeſſione, & votum caſtitatis emiſſum in ſuſceptione

ne

ne Ordinis Sacri. Unde votum ſolemne differt a ſimplici per hoc, quod illud ſolemnizatur per profeſſionem Religioſam, vel ſuſceptionem Ordinis Sacri, iſtud vero privatim emittitur ſine ſolemnitate, & abſque eo quod acceptetur ab Eccleſia, non eſt differentia eſſentialis, ſed accidentalis voti, quæ proinde non eſt circumſtantia neceſſario exprimenda in confeſſione.

Votum ſimplex dividitur in abſolutum, conditionale, & pœnale; abſolutum eſt illud, quod emittitur independenter ab omni conditione. Conditionale vero eſt illud, quod fit ſub conditione, & ſolum obligat purificata conditione, ut v. g., voveo peregrinationem ad Almam Domum, ſi convaleſcam. Pœnale autem eſt, quando quis vovet aliquid exequendum in pœnam, ſi tale crimen committat, ut v. g. voveo jejunare, ſi fornicabor, vel voveo non fornicari, & ſi fornicabor, voveo jejunare, ubi obſerva quod in primo caſu votum eſt unum tantum, & cadit ſupra pœnam; in ſecundo eſt duplex, & alterum de non fornicando, & alterum de danda tibi tali pœna in hypotheſi fornicationis.

Deinde votum dividitur in reale, perſonale, & mixtum. Reale eſt illud, quo promittitur bonum aliquod externum a Perſona diſtinctum, ut voveo dare eleemoſynam. Perſonale eſt, quo promittitur aliqua actio bona perſonæ, ut v. g. voveo peregrinationem, jejunium, orationem &c. Mixtum eſt illud, quod de utraque participat, eſtque partim reale, partim perſonale, ut verbi gratia voveo peregrinationem ad Almam Domum, & ibi donare hanc Tabellam argenteam.

Item votum aliud eſt expreſſum, quod fit verbis expreſſis, ut eſt votum quod emittitur

in Profeſſione Religioſa. Aliud implicitum, ſeu tacitum eſt illud, quod eſt annexum actioni, quam quis facit, ut eſt votum, quod fit in ſuſceptione Ordinis Sacri, cui eſt annexum votum caſtitatis. Item aliud eſt affirmativum, ut dare eleemoſynam, aliud negativum, ut abſtinere a carnibus, a ludo, a fornicatione &c. Denique aliud eſt perpetuum, aliud temporale.

Votum cadens ſupra materiam communiter, & ordinario diviſibilem, ſi non poteſt adimpleri quo ad totam, obligat quo ad partem poſſibilem, quia talis præſumitur eſſe voluntas, & intentio voventis.

Hinc qui ante, vel poſt matrimonium contractum vovit caſtitatem, tenetur obſervare partem poſſibilem, non petendo debitum, quamvis teneatur reddere: Item etiam ſi vovit jejunare totam Quadrageſimam, tenetur jejunare bis, vel ter in Hebdomada, ſi non poteſt totam, aut tenetur jejunare partem, quam poteſt, & ſic de aliis hujuſmodi votis, quorum materia eſt diviſibilis, & ſeparabilis pars ab alia.

Votum ex natura ſua obligat ſub mortali. Eſt enim votum actus Religionis, quo Deus colitur, & honoratur; Religio autem ex natura ſua obligat ſub mortali, conſequenter etiam votum pertinens ad Religionem. Verumtamen ex parvitate materiæ poteſt illius tranſgreſſio eſſe tantum venialis.

Dices: in juramento falſo non datur parvitas materiæ excuſans a mortali, quando quis jurat falſum in re levi, ergo neque in voto datur parvitas materiæ excuſans a mortali, adeout tranſgreſſio voti in re levi ſit tantum venialis; ſed contra, concedo antecedens, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cum vo-

tum

tum ſit quædam lex privata, quam quis ſibi imponit, ſicut dantur præcepta in quibus parvitas materiæ excuſat a mortali, ita etiam in voto. Econtra autem in juramento falſo non datur parvitas materiæ excuſans a mortali, unde jurare falſum etiam in materia levi, eſt perjurium, & peccatum mortale. Ratio hæc eſt, quia malitia perjurii ſuam gravitatem deſumit ex contemptu Dei invocati in teſtem falſi, qui contemptus eſt ſemper gravis irreverentia, quæ irrogatur Deo, immo ut bene advertit Divus Thomas, major eſt irreverentia, & grave peccatum, ſi perjurium ſit in re levi, quam ſi ſit in re gravi, ſicut enim grave eſt peccatum ſimoniæ, & major contemptus rei ſacræ, ſi hæc vendatur ob pretiam tenuiſſimum, quam ſi ob ingentem theſaurum, ita major irreverentia irrogatur Deo, ſi ad leviſſimam, quam ſi ad magnam falſitatem confirmandam adducitur in teſtem, unde ex parvitate materiæ contemptus Dei creſcit potius, quam decreſcat in juramento falſo.

Votum factum ex gravi metu injuſte illato a cauſa libera ab homine, eſt irritum, & nullum. Unde Profeſſio Religioſa ex gravi metu facta irrita eſt, & nulla; ſicut & matrimonium, de quo infra.

Dices, juramentum promiſſorium metu gravi injuſte incuſſo extortum validum eſt, & obligatorium, ergo etiam votum; ſed contra concedo antec. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia Eccleſia irritavit votum gravi metu extortum, non autem irritavit juramentum factum in utilitatem hominum, quamvis metu gravi injuſte incuſſo extortum.

Hinc votum factum ex gravi metu, quamvis injuſte incuſſo, non eſt irritum jure natu-

ræ, quia hujuſmodi metus etiam ſi injuſtus, & injurioſus, non tollit libertatem, nec ſufficientem conſenſum requiſitum ad eſſentiam, & validitatem voti, ideoque non eſt ipſo jure naturæ irritum, ſed ſolum irritum eſt, & nullum jure Eccleſiaſtico.

Si quis ſit dubius an votum emiſerit, non tenetur ad illius obſervantiam, quia tunc poſſeſſio ſtat pro libertate; eſt enim certum ſic dubitantem prius fuiſſe in poſſeſſione libertatis, qua non cenſetur eſſe privatus, niſi certo conſtet.

Si quis autem eſt certus ſe votum emiſiſſe, ſed prudenter ſit dubius, an illud adimpleverit, tenetur adimplere, quia in hoc caſu poſſeſſio ſtat pro voto, de quo conſtat fuiſſe certo emiſſum.

Qui vovit jejunare ſingulis ſextis feriis, an teneatur jejunare, ſi in illum diem incidat Natalis Domini. Doctores hinc inde ſunt, aliqui enim dicunt non teneri, quia in eo caſu votum cenſetur emiſſum ſecundum morem Eccleſiæ, quæ tali die concedit eſum carnium ob ſolemnitatem Diei, alii autem dicunt teneri tali die ad jejunium ex vi voti ob Textum juris ſatis clarum in cap. finali de obſervantia jejunii, ubi dicitur. Qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti in ſexta feria, ſi Feſtum Nativitatis Dominicæ eo die venire contigerit, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Univerſalis, ubi Eccleſia noluit deobligare ab obſervantia jejunii, & a non uſu carnium, qui regulari obſervantia, aut voto ad id ſunt adſtricti.

Limitanda tamen eſt hæc ſecunda ſententia, modo vovens expreſſe nõ exceperit illum diem,

in

in quo caſu verba hujus voti erunt generalia pro qualibet ſexta Feria.

Quando nullum eſt a vovente determinatum tempus pro executione voti, tenetur votum adimplere quamprimum commode,& utiliter poteſt, ut habetur in Deuteronomio cap. 23.*Cum votum voveris Domino Deo tuo,non tardabis reddrre, quia requiret sllud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*: & Eccli. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere*.

Utrum autem qui non implevit votum tempore deſignato, tranſacto eo tempore maneat liber ab executione voti, vel teneatur adhuc exequi, & adimplere.

Reſpondeo cum diſtinctione, vel tempus fuit a vovente deſignatum & præfixum ad finiendam, & terminandam obligationem, cum ſcilicet votum eſt factum ex particulari devotione, utilitate, aut alia circumſtantia eo die occurrente, ut ſi quis voveat jejunare die ſabbati in honorem Beatæ Virginis, aut feria ſexta in honorem Dominicæ Paſſionis, aut in Adventu ob peculiarem illius temporis devotionem, aut in Vigilia alicujus Sancti, tunc ſinon obſervatur jejunium eo tempore præfixo, ceſſat obligatio voti, ſed debet pœnitentiam agere de illius tranſgreſſione; ut contingit in præceptis Eccleſiæ, quando præceptum eſt tempori affixum, ut audiendi Miſſam die feſto, recitandi Divinum officium &c.

Vel tempus fuit deſignatum non ad finiendam, ſed ad ſollicitandam obligationem voti, ne ulterius differatur illius executio, tunc enim ſi præfixo tempore votum non adimpleatur, peccat vovens, & alio tempore tenetur adimplere, quia ibi duo includuntur virtualiter vota, aliud exequendi opus, & aliud

exequendi tempore determinato; violatur hoc ſecundum, non exequendo tempore præfixo, ſed remanet primum exequendi opus promiſſum.

Vovens ſine animo promittendi, & ſe obligandi, vere non vovet, nec tale votum ullam inducit obligationem. Ratio eſt, quia cum votum ſit promiſſio facta Deo, ita debet eſſe vera, & ſincera, nec ſufficit ficta, ac ſimulata, & ideo, qui ſic vovet, nullitatem vovet, cum non intendat promittere, nec ſe obligare, & eſt potius ludere verbis, quam votum emittere.

Si vero voveat animo ſe obligandi, ſed non exequendi rem promiſſam, tunc votum tenet, & eſt validum. Ratio eſt, quia obligatio voti eſt diſtincta ab executione voti, nec ab ea dependet, cum ſtare poſſet obligatio ſine executione, ut de ſe liquet.

Attamen qui vovet animo ſe obligandi, ſed non exequendi promiſſum, peccat mortaliter, aut venialiter, prout materia voti gravis eſt, aut levis, ſi enim non executio voti ſit ſolum peccatum veniale, quoties ſit votum de materia levi; propoſitum non implendi votum eandem malitiam habebit.

Si autem quis voveat ſine animo promittendi, & ſe obligandi, regulariter non peccat niſi venialiter, quia ſolum eſt quædam inordinatio in hoc, quod verba non conformet menti, quod realiter non excedit limites culpæ venialis. Per accidens tamen erit peccatum mortale, ratione ſcandali, aut injuſtitiæ, ut ſi ficte, aut invalide votum publicum cum aliis, aut votum ſolemne in profeſſione Religionis, aut ſuſceptione Ordinis Sacri emittat, quia licet nemo teneatur ſtatum Religionis aſſumere, vel Ordines Sacros recipere,

re, tamen hoc ipſo, quod quis libere hæc aſſumit, tenetur ea accipere eo animo, & voluntate, quam Eccleſia, vel Religio præſcribit, ſecus gravem inferret injuriam Eccleſiæ, vel Religioni, quas decipit in re adeo gravi, niſi forte juſtam habeat cauſam ficte vovendi, ut ſi per metum gravem cadentem in conſtantem virum, inducatur ad profeſſionem Religionis.

Qui vovit Religionem, & aſſumeretur ad Epiſcopatum, quæritur an teneatur ad votum, & dimittere Epiſcopatum. Duplex circa hoc eſt Doctorum opinio: Alii dicunt aſſumptum ad Epiſcopatum non teneri ad votum, ratione ſtatus perfectioris, ad quem eſſet aſſumptus, & hæc eſt mea opinio. Alii vero dicunt ſecluſa diſpenſatione teneri ad votum, & ingredi Religionem dimiſſo Epiſcopatu, eo quod votum ſit ſtrictiſſima obligatio contracta cum Deo, & licet Epiſcopatus ſit ſtatus majoris perfectionis præ ſtatu Religionis, hoc non obſtat, quia eſt quidem ſtatus majoris perfectionis, ſed in diverſo ordine, non tamen in eodem ordine, ideoque &c.

Qui vovit rem jam præceptam v. gr. jejunium præſentis vigiliæ, frangens tale jejunium duplex peccatum committeret, unum inobedientiæ contra præceptum, & alterum ſacrilegii contra votum.

Noto ad rationem voti requiri, ut vovens ſciat, quid faciat, nempe, ut ſciat ſe aſtringi obligatione ſub mortali; itaut ſi quis voveret neſcius de voti obligatione, quam ſi ſciviſſet non voviſſet, non teneret votum, & diceretur votum materialiter, & oretenus tantum.

Noto inſuper, votum tantum ſe extendere quantum ſe extendit intentio voventis, & non

plus, quod bene eſt ponderandum. Unde ſi quis v. gr. voveret virginitatem cum hac intentione ſe obligandi ſolum ad cavendum primum actum libidinis, ſeu deflorationem, violato tali voto ceſſaret, quia non poſſet amplius ſervari. Si vero virginitatem voveret abſolute, & ſimpliciter abſque limitatione, tunc teneretur ex voto cavere omnem actum voluntarium libidinis, quia votum virginitatis abſolute emiſſum denotat perpetuitatem, obligans ad ſemper.

Hinc, ſi quis emitteret votum non nubendi, ſi fornicaretur, aut aliud luxuriæ peccatum committeret, non peccaret ſacrilege, quia votum præciſe non nubendi ad hæc non ſe extendit. Idem dicendum de eo, qui emitteret votum de nunquam ſe polluendo quo ad alia luxuriæ peccata.

Ubi notandum, dari poſſe ſimplex votum caſtitatis partialis, & ſecundum quid, & votum ſimplex caſtitatis integre, & ſimpliciter. Illud eſſet, ſi quis voveret abſtinentiam in aliqua tantum ſpecie luxuriæ, ſeu in aliquibus. Secundum, ſi in omni ſpecie luxuriæ; Et ratio in univerſum hæc eſt, quia quæ ſunt diſtincta poſſunt diviſim intendi, unum ſcilicet ſine alio.

Si Maritus ex parte ſui voveret caſtitatem, non poſſet petere debitum, teneretur tamen reddere. Ratio primi eſt, quia amiſiſſet jus petendi ratione voti. Ratio ſecundi eſt, quia in Uxore non eſſet amiſſum jus petendi, cum votum Mariti non afficiat Uxorem.

Vota perſonalia nequeunt per alium adimpleri, nec illorum obligatio tranſit ad hæredes, bene autem vota realia. Ratio primi eſt, quia votum perſonale cum ſit promiſſio actionis propriæ, ſolum afficit voventem. Ratio

ſe-

ſecundi eſt, quia cum materia voti realis non ſit actio ipſius voventis, ſed res aliqua ab eo diſtincta, æque bene poteſt ab alio præſtari.

Hinc vota realia defuncti, hæres quicumque ſit, ſive voluntarius, ſive neceſſarius, adimplere tenetur, quia ſunt onera hæreditatis, quæ tranſeunt ad hæredem, qui ſicuti in juribus, & actionibus defuncti ſuccedit, ita ſuccedere debet in omnibus oneribus, & obligationibus hæreditati annexis. Et quidem tenetur hæres non ex obligatione Religionis, quia obligatio voti cum ſit perſonalis, ſolum afficit voventem, ſed obligatione juſtitiæ, ſicut tenetur alia debita, & onera realia defuncti perſolvere.

Idem dicendum de voto mixto ex parte, qua eſt reale.

Omnes habentes uſum rationis poſſunt votum emittere, & obligari, niſi ſpecialiter impediantur. Unde jure naturæ ſolum excluduntur a votorum emiſſione Amentes, Furioſi, Ebrii, & Pueri ante uſum rationis, quo adepto libere poſſunt vovere etiam ante pubertatem.

Hinc Pueri, & Feminæ poſt ſeptennium poſſunt votum emittere, quia tali tempore cum habeant ſufficientem uſum rationis ut poſſint peccare mortaliter, poſſunt etiam obligari Deo per votum, quamvis talia vota a Pueris, & Puellis emiſſa, firma non ſint, cum poſſint irritari a Patre, & cenſeantur emiſſa ſub hac tacita conditione, ſi Patri non diſplicuerint.

Et in pubertate nullus ſive maſculus, ſive femina poteſt valide emittere votum ſolemne Religionis ante decimum ſextum ætatis annum, juxta diſpoſitionem Concilii Tridenti-

ni irritantis votum ſolemne Religionis, ante tale tempus emiſſum.

Difficultas eſt, an qui alterius poteſtati ſubduntur, ut ſunt Religioſi, Filii impuberes, ſervi, & uxores, poſſint valide emittere vota ſine conſenſu Prælati, Patris, Domini, & Mariti ſub quorum poteſtate ſunt.

Et quidem eſt certum, vovere non poſſe de rebus, quæ cedunt in illorum præjudicium, cum nemo poſſit diſponere, & Deo promittere de rebus, quæ non ſunt in propria poteſtate, nam eſſet de re aliena ſacrificium offerre Deo: inde vota quæ impleri non poſſunt ſine ſumptibus, peregrinatione, vel alio quocumque modo turbante poteſtatem parentum, & Dominorum, ſunt irrita ipſo jure.

Unde ad difficultatem dico Religioſos, Filios impuberes, & Uxores multa valide, & meritorie vovere poſſe ſine conſenſu Superioris, Patris, & Matris, nempe omnia ea, quæ regulæ, vel Superioris præcepto, aut gubernationi domeſticæ non repugnant. Ratio eſt, quia res promiſſa per tale votum eſt bona, Deo grata, & non incompoſſibilis cum meliori: ergo non eſt cur non debeat eſſe validum; nec illius valori obſtat ratio ſubjectionis, qua ſubduntur Superiori, quia hæc non eſt tanta ut tollat libertatem vovendi ea quæ Superioribus non ſunt præjudicialia, ſed ſolum facit, quod talia vota irritari poſſint ab illis, cum intelligantur facta ſub tacita conditione, ſi ſcilicet Superior non contradixerit, quo non contradicente, ſed conſentiente, remanent procul dubio firma, & in ſuo robore, nec aſſignari poteſt jus aliquod Divinum, aut humanum, quod talia vota irrita faciat ipſo facto, ſed relinquit irritanda.

Quatuor modis ceſſare, ac deſinere poſſet ob-

obligatio voti valide facti. Primo, per ceſſationem cauſæ, ob quam votum fuit factum, aut per notabilem mutationem ſupervenientem. Secundo, per irritationem factam a Superiore. Tertio, per diſpenſationem. Quarto, per commutationem.

Ceſſat obligatio voti per ceſſationem cauſæ finalis, ob quam fuit factum; ſic ſi voviſti peregrinationem pro impetranda filii ſanitate, ſi ille præmoriatur, liber es ab obligatione voti: ſi voviſti non intrare talem domum ob vitandum periculum peccandi, ſi periculum ceſſet eo quod fœmina alio migraverit, liber eris a voto, nam ceſſante cauſa, ceſſat effectus.

Ceſſat inſuper obligatio voti per notabilem mutationem ſupervenientem, ſic ſi voviſti longam peregrinationem, vel magnam eleemoſynam, ſuperveniente gravi morbo, aut inopinata depauperatione, non teneris ad votum; ſimiliter ſi ægritudo ſit tanta, ut excuſet a jejunio præcepti Eccleſiaſtici, ſufficit etiam ad excuſandum ab obligatione jejunii voto promiſſi, cum votum non ſit, niſi quædam lex privata, quam vovens ſibi imponit.

Irritare votum idem eſt, ac illud annullare, ita ut amplius non obliget, nec reviviſcat; unde irritatio ſic definitur, annullatio ſcilicet voti facta ab habente poteſtatem dominativam, quia videlicet ille poteſt votum irritare, qui habet poteſtatem dominativam in perſonam voventem.

Sunt aliqui, qui dicunt hanc poteſtatem irritandi vota provenire ex jure poſitivo Pontificio, ſeu civili, ſed verius dicendum eſt cum aliis, provenire ex jure naturali Divino, quod ſatis aperte colligitur ex Divo Thoma dicente, quia Pueri naturaliter ſunt ſub po-

te-

teſtate patris quantum ad diſpoſitionem ſuæ vitæ, poteſt pater eorum vota revocare, ubi Sanctus Doctor non recurrit ad diſpoſitionem Juris poſitivi, ſed ad diſpoſitionem juris naturalis: hinc cum etiam uxor naturaliter ſubdita ſit viro, ſervus Domino, Religioſus Prælato, ſequitur etiam quo ad iſtos ex tali ſubjectione, ac jure naturali provenire illam poteſtatem irritandi eorum vota.

Exceptis votis continentibus ſtatum Religioſum, ut ſunt vota obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis; itemque iis, quæ ex diſpoſitione Pontificis huic ſtatui ſunt annexa, cujuſmodi ſunt votum redemptionis captivorum in Religionibus profitentibus tale votum, & votum Quadrageſimalis obſervantiæ in Minimis, & inſuper excepto voto, quod quis Religioſus emitteret tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem; omnia alia vota, quæ Religioſus profeſſus emitteret, quæcumque ſint, poſſunt irritari a ſuo Prælato.

Ratio eſt, quia voluntas Religioſi, cum per votum obedientiæ ſit translata in Prælatum, cui ſe ſubjecit quo ad omnia ſpectantia ad rectam vitæ ſpiritualis directionem, debet eſſe ab illo perfecte dependens, quo ad ſuſcipienda nova onera, & obligationes, ſicut dependet in cæteris operibus ſupererogationis, adeo ut nullam aliam obligationem ſuſcipere valeat, quæ a Prælato ſuo irritari non poſſit; quippe ſi fiant, cenſentur fieri ſub hac tacita conditione, ſi Prælato placuerit, ſi non contradixerit.

Prælati, qui ratione poteſtatis dominativæ poſſunt vota ſubditorum irritare, ſunt illi omnes, qui habent juriſdictionem ordinariam, nempe Generalis in tota Religione, Provincialis in ſua Provincia, & Superior lo-

localis in ſuo Conventu, & Monaſterio.

Idem dicendum de Abatiſſa, & Prioriſſa, quo ad poteſtatem irritandi vota ſuarum Monialium.

Vota autem Novitiorum, qui non dum ſunt profeſſi, nequeunt irritari a Prælatis Religioſis, quia adhuc ſunt ſui juris, & nemini ex voto obedientiæ ſubjecti. Poſſunt tamen ſuſpendi, vel etiam ipſo jure ſunt ſuſpenſa, ita ut tamen Novitio exeunte a Religione, & redeunte ad ſæculum reviviſcant.

Adeo quod vota omnia tam perſonalia, quam realia, quæ ſive in ſęculo Novitius emiſiſſet & non impleviſſet, ſive tempore novitiatus, per Profeſſionem penitus extinguntur, non per irritationem, vel commutationem, perpetuo ſerviendi Deo.

Pater poteſt irritare omnia vota Filiorum impuberum, etiam votum Caſtitatis, & Religionis, quamvis ea Pupillus emiſerit, ut exequenda poſt pubertatem. Ratio hæc eſt, quia jure ſive naturali, ſive Eccleſiaſtico ſic diſponente, omnia vota filiorum impuberum cenſentur facta ſub tacita conditione, niſi Pater contradixerit; expediebat enim maxime eo tempore, quo filius creditur imbecilli uſu rationis gaudere, aliena voluntate regi in obligationibus aſſumendis, ideoque cenſentur omnia ipſius vota emitti ſub conditione conſenſus Patris; cum ergo pendeant a voluntate Patris, & imbibitam habeant eam conditionem, poſſunt omnia a Patre irritari.

Nomine impubertatis, ſeu ætatis pupillaris venit ætas, quæ incipit a ſeptennio, & durat in Feminis uſque ad duodecimum annum completum, & in maſculis uſque ad quartum decimum completum.

Poteſtas eadem, quæ eſt in Patre ad irritanda

da vota filiorum impuberum, ineſt in Tutore, qui loco Patris ſubrogatur ex diſpoſitione juris, & cui tradita eſt cura, tam bonorum, quam perſonæ pupilli, & ſic omnia vota pupilli poteſt irritare quamdiu durat officium Tutoris, eodem prorſus modo, quo poteſt Pater.

At Pater irritare non poteſt omnia vota filiorum adhuc exiſtentium ſub Patria poteſtate, ſed ea tantum, quę patrię poteſtati pręjudicant aut quę liberam, & expeditā familia gubernationem impediunt, vel filium, aut filiam nimis ſubtrahunt ab obedientia, & cura paterna. Ratio eſt, quia poſt adeptam pubertatem, præſumitur filius habere plenam, & perfectam diſcretionem ad vovendum, & ſic ex parte voluntatis nulla adeſt cauſa irritationis; bene tamen adeſſe poteſt cauſa ex parte materiæ, quæ ſi paternæ adminiſtrationi, & domeſticæ gubernationi præjudicat, votum poterit a Patre irritari, cum ad ſui valorem imbibitam habeat conditionem, niſi Patri præjudicium attulerit.

Hinc pater non poteſt irritare filiorum puberum vota, Religionis, Caſtitatis, & Ordinis ſuſcipiendi, quia in iis filius eſt ſui juris, & habet poteſtatem diſponendi: neque poteſt irritare vota ipſorum de jejuniis moderatis, de frequentia Sacramentorum, de recitatione officii Beatæ Virginis, aut aliarum precum, neque vota de rebus alias præceptis, ut audiendi Miſſam diebus Feſtivis, & alia ſimilia.

Poteſt tamen irritare vota longævæ peregrinationis, & abſentiæ, quia obſtant curæ paternæ, cui ſubditur quouſque eſt ſub patria poteſtate, nec non etiam vota multorum jejuniorum, & multarum precum, quibus impeditur aſſiſtere paterno obſequio, aut ſtudio, cui

va-

vacat ex juſſu Patris, quia præjudicant patriæ poteſtati.

Multoque magis Pater irritare poteſt omnia vota realia Filiorum puberum emiſſa ante vigeſimum quintum annum, quia uſque ad tale tempus de jure communi carent adminiſtratione bonorum, & ſunt ſub cura Parentum, unde non poſſunt de rebus, & bonis ipſorum diſponere, nec promittere ex voto, niſi ſub conditione de conſenſu paterno.

Excipe votum de peculio caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi, quod irritari nequit a Patre, quia quoad illud filius eſt ſui juris, & poteſt libere diſponere: Item excipe votum reale de rebus adventitiis, quarum nec uſusfructum, neque adminiſtrationem habet Pater, cum non præjudicet patriæ poteſtati, nullumque votum irritari poteſt a Patre, quando fuit emiſſum a Filio, poſtquam fuit ſolutus a patria poteſtate, & poſt vigeſimum quintum annum ſuæ ætatis.

Nomine pubertatis, ſeu minoritatis, venit tempus, quod in feminis incipit ab anno duodecimo, & in maſculis ab anno decimoquarto, & durat uſque ad annum vigeſimumquintum completum, quo tempore dicuntur minores, & hoc de lege communi, nam de lege municipali durare poreſt uſque ad vigeſimum annum completum.

Loco Patris ſuccedit Curator, qui filio puberi, & minori præcipue datur ad ipſius res curandas, & poteſt irritare ipſius vota, quæ poſſet Pater ſi adeſſet, cum hoc diſcrimine, quod Pater poteſt ſemper talia vota irritare, cum ſemper retineat poteſtatem Patris; Curator vero, ſicut etiam Tutor id non poteſt amplius terminato Tutoris, ſeu Curatoris officio.

U-

Utrum autem Mater hanc poteſtatem habeat irritandi vota filiorum, cenſeo probabilius Matrem non habere talem poteſtatem præſente, & vivente Patre; quia ſolus Pater eſt caput totius Domus, & Familiæ, habetque plenam rerum, & filiorum adminiſtrationem, & gubernationem, unde ſolum ipſe poteſt &c. non Mater.

Mortuo autem Patre, aut longiſſime diſtante id facere poteſt Mater, ſi ipſa ſit Tutrix, aut Curatrix Filiorum; ſecus ſi hoc officium ſit alteri demandatum; non enim tunc Mater habet poteſtatem in filium, nec perſonæ, nec bonorum habet adminiſtrationem.

Si vero Pater moriatur nullo relicto Tutore, aut Curatore, poterit Mater irritare vota filiorum impuberum, quia deficientibus Patre, Avo, & Tutore, Mater habet vices Tutoris, ſucceditque loco patris in filiorum gubernatione, ſive ex jure naturali, ſive ex jure ordinario, & ſic poteſt ipſorum vota irritare.

Vota autem realia filiorum puberum irritare non poteſt Mater ſi non ſit conſtituta curatrix, quia tunc filius remanet ſui juris cum libera bonorum ſuorum adminiſtratione.

Et adverto, quod officium Curatoris ſolet aliquando finire beneficio Principis veniam ætatis concedentis antequam pubertas, & minoritas finiatur.

Maritum irritare poſſe omnia Uxoris vota, quæ præjudicant Matrimonio, & domeſticæ gubernationi certum eſt; nam vir eſt caput mulieris, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Mulieres Viris ſuis ſubditæ ſint, quoniam Vir caput eſt Mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ.*

Difficultas eſt, utrum poſſit etiam alia quæcumque Uxoris vota irritare. Et dico Virum irritare poſſe omnia prorſus Uxoris vota emiſ-

ſa

ſa conſtante matrimonio eodem omnino modo, quo poteſt Pater irritare omnia vota filiorum impuberum, & Prælatus omnia vota ſuorum Religioſorum.

Ratio eſt, quia ut habetur loco citato Apoſtoli, Mulier debet eſſe ſubdita Viro, ſicut membra capiti, & ſicut Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſed omnes corporis actiones capiti ſubduntur, & ab eo gubernantur; & Eccleſia eſt Chriſto quo ad omnia ſubjecta, ergo etiam Uxor quo ad omnia eſſe debet ſubjecta Viro, & ab eo dependens in omnibus obligationibus de novo aſſumendis, ne imprudenter ſe gerat; cum enim Mulier ſit natura ſua levis, imprudens, & facilis in emittendis votis, ideo convenienter fuit a Deo ſubjecta Viro, ut firmum non ſit ullum ipſius votum ſine conſenſu Mariti.

Quod etiam conſtat ex D. Thoma dicente; nullum votum Religioſi eſſe firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati, ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu Patris, nec Uxoris, niſi ſit de conſenſu Viri; ergo ſicut Pater irritare poteſt omnia vota filii impuberis, & Prælatus omnia vota Religioſi, ita Maritus omnia vota Uxoris, ideoque conveniens erat ad pacificam domus gubernationem, & ad conſervandum mutuum amorem, ut mulier in omnibus ſubjecta eſſet Viro, & omnia ipſius vota cenſentur emiſſa ſub tacita conditione, niſi Maritus contradixerit.

Uxor autem ea tantum Mariti vota poteſt irritare, quæ ſibi præjudicant. Ratio eſt, quia Mulier poteſtatem & dominium habet corporis ſui Viri quo ad debitum ſibi moderate reddendum, & cohabitandum juxta Apoſtolum ad Corinth. 7. Ergo poterit irritare ea vota quæ tali Dominio, & poteſtati repugnant.

Hinc

Hinc poterit Uxor irritare votum Mariti longinquę peregrinationis,niſi ſit in ſubſidium Terræ Sanctæ, aut votum magnæ abſtinentiæ, quia ſibi præjudicium affert, & votum caſtitatis, ſeu non petendi debitum, quia in hoc Vir, & Mulier ſunt æquales, & ex tali voto cauſatur præjudicium Uxori, & gravatur ad ſemper petendum, quod eſt contra naturalem Mulierum pudorem, niſi velis dicere hujuſmodi vota eſſe per ſe ipſo facto irrita, & nulla, utpote de materia non apta voto.

Dominus ea ſola vota ſervi irritare poteſt, quæ juri, & poteſtati ſuæ officiunt, & præjudicant.

Ubi notandum nomine ſervorum, hic non venire ſervos ſeu famulos, qui ad tempus conducti, Dominis inſerviunt, nam iſti non ſunt ſub poteſtate dominativa ſui Domini, ſed ſunt ſui juris, vel ſub poteſtate Parentum, & ſic non poſſunt ipſorum vota a Dominis irritari: ſed veniunt illi, qui prorſus libertate carent, & ſunt in ſervitutem perpetuam reducti;quippe dicuntur mancipia. Unde de iſtis præcedens aſſertum ſic

Probatur, quia ſervus, ſeu mancipium non ſubditur Domino quo ad voluntatem, & actus liberos ſimpliciter, ſicut Religioſus ſubditur Superiori, ſed tantum quo ad ea, quæ illius ſervitium, & obſequium reſpiciunt, & proinde ea ſolum vota irritare poteſt, quæ tale ſervitium, & obſequium impediunt, cujuſmodi ſunt votum peregrinationis, nimiæ abſtinentiæ, prolixæ orationis, ingreſſus in Religionem, & alia præjudicantia ſervituti illi debitæ. Non autem irritare poteſt votum caſtitatis, votum non peccandi, obſervandi legem Dei,moderate orandi, & fundendi aliquas preces,& ſimilia, quæ Domino non præjudicant.

Di-

Diſpenſatio in genere eſt juris relaxatio facta ab habente legitimam poteſtatem. Unde diſpenſatio voti, ſicut & juramenti eſt relaxatio vinculi, ſeu obligationis per votum, & jurametum contractæ, facta nomine Dei propter aliquam rationabilem cauſam.

Adeſſe in Eccleſia hanc facultatem diſpenſandi, & relaxandi vota, ſicut & juramenta promiſſoria Deo facta, certum eſt de fide, & colligitur ex iis Chriſti verbis: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.*

Hoc enim erat conveniens ad rectam, & perfectam Eccleſiæ gubernationem, & ad conſulendum ſpirituali fidelium ſaluti.

Hæc votorum diſpenſatio non eſt mera declaratio, ſeu interpretatio, quod materia voti non ſit Deo grata, aut quod ceſſet obligatio in tali circumſtantia ob aliquam cauſam, ſed ab illa valde differt: nam diſpenſatio ſupponit voti validitatem, & vinculum obligans, illudque tollit, unde illa eſt actus juriſdictionis, hæc autem actus ſcientiæ, quæ etiam a privata perſona fieri poteſt.

Dices, obligatio voti eſt de jure Divino, ſed quod eſt de jure Divino diſpenſari, ſeu relaxari non poteſt, ergo neque obligatio voti: ſed contra, & dico, jus Divinum aliud eſſe abſolutum, & in hoc Pontifex non diſpenſat; aliud fundatum in actu, & contractu humano, ut in juramento, & voto, & in hoc Pontifex diſpenſat tollendo fundamentum obligationis, quatenus Pontifex loco Dei, tamquam ejus in terra Vicarius, remittit jus Deo acquiſitum ratione voti, quo poſito tollitur obligatio juris Divini circa illud votum, quod aliter non obligat ex jure Divino niſi quatenus maneat, & duret, ea ratione, qua promiſſio, & contractus

ci-

civilis jure naturæ obligat ad ſui impletionem, & tamen diſſolvitur, & obligare deſinit parte jus ſuum remittente.

Ad licitam, & validam diſpenſationem, ſemper requiritur iuſta & rationabilis cauſa, ſine qua irrita, & invalida eſt diſpenſatio. Nam obligatio voti cum ſit de jure Divino in tantum tolli poteſt, in quantum Deus conſentit, & ius ſuum remittit; non cenſetur autem conſentire, nec remittere ius ſuum, nec facultatem Pontifici tribuere illud remittendi ſine iuſta, & rationabili cauſa, ſine qua remiſſio, ac diſpenſatio eſſet irrationabilis,& rectæ Eccleſiæ gubernationi præiudicans. Unde Divus Bernardus libro 3. de conſideratione ad Eugenium dixit: Diſpenſationem abſque cauſa in rebus de iure Divino obligantibus, non eſſe diſpenſationem, & non fieri de plenitudine poteſtatis, ſed de plenitudine tempeſtatis.

Omnes, & ſoli Prælati Eccleſiaſtici iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeu quaſi Epiſcopalem in foro externo habentes, poteſtatem habent diſpenſandi in omnibus votis ſuorum ſubditorum, niſi aliqua ſint ſpecialiter reſervata. Ratio eſt, quia poteſtas diſpenſandi in votis, eſt poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, directa, & per ſe ordinata ad bonum ſpirituale, & ſalutare animarum, ſed hanc iure ordinario non habent, niſi ſoli Prælati Eccleſiaſtici &c. ergo iſti ſolum poſſunt iure ordinario diſpenſare in votis.

Unde poteſtas hæc diſpenſaudi primario, & principaliter tanquam in primo fonte, & capite reſidet in Summo Pontifice in terris Chriſti Vicario reſpectu omnium Chriſti fidelium, & quo ad omnia vota, etiam quo ad votum caſtitatis annexum Ordinibus Sacris, & inſuper etiam quo ad illud emiſſum in ſolemni

pro-

profeſſione, adeo ut Summus Pontifex poteſt aliquem Religioſum profeſſum eximere a ſtatu Religioſo, ipſique concedere, ut Uxorem ducat, ex graviſſima tamen, & urgentiſſima cauſa boni communis, non uno alicuius particularis, ut ſi conducat ad pacem, aut tranquillitatem alicuius Regni, vel converſionem, & ſimilia. Id ergo non eſt denegandum Pontifici, cum nullo iure ſit ei prohibitum.

Deinde reſidet hæc poteſtas diſpenſandi in Epiſcopis, Capitulo ſede vacante, Abbatibus habentibus propriam Diæceſim, & Prælatis Regularibus exemptis, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & quilibet ex iſtis reſpectu ſuorum ſubditorum, poteſtatem habet diſpenſandi in omnibus votis non reſervatis, quia ſic congruit rectæ Eccleſiæ gubernationi.

Non tamen Parochis, qui iuriſdictionem in foro externo non habent. Et quamvis Parochi poſſint diſpenſare in lege jejuniorum, & feſtorum, quando non datur facilis acceſſus ad Epiſcopum, id habetur ex recepta conſuetudine, quæ non militat de votorum diſpenſatione.

An autem poteſtas hæc diſpenſandi extendatur etiam ad vota facta in favorem tertii. Ad hoc dico non poſſe relaxari votum, ſicut nec juramentum factum in favorem tertii, ſi jam fuit acceptatum, & tertiæ perſonæ jus acquiſitum, quia poteſtas diſpenſandi intelligitur conceſſa, ſine prejudicio, & injuria tertii: ſi vero nondum ſit acceptatum, probabilius cenſeo poſſe relaxari; quia tunc nullum jus eſt alteri acquiſitum, ſed Deo tantum, & ſic poteſt Prælatus per poteſtatem ſibi a Deo conceſſam tollere obligationem.

Quinque communiter aſſignantur vota Summo Pontifici reſervata, ex diſpoſitione juris, aut ex antiqua, & recepta conſuetudine, in

 qu-

quibus Epiſcopi, & alii Prælati inferiores diſpenſare non poſſunt, quamvis habeant poteſtatem ordinariam in ſuas oves, & poſſint in omnibus aliis diſpenſare. Et ſunt votum caſtitatis perpetuæ, votum Religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad Sanctum Jacobum Compoſtellanum, & ad Terram Sanctam.

Votum caſtitatis Summo Pontifici reſervatum, eſt votum caſtitatis ſimpliciter, & abſolutæ, id eſt perfectæ, & illimitatæ, non autem ſecundum quid, ſeu limitatæ, ac partialis. Ratio eſt, quia reſervatio cum ſit odioſa, utpote ordinariam Prælatorum poteſtatem reſtringens, ſtricte, & non late eſt interpretanda.

Unde votum v. gr. non fornicandi, ſeu non committendi mollitiem, aut aliud luxuriæ peccatum poteſt ab Epiſcopo, & ab aliis poteſtatem ordinariam habentibus relaxari, & commutari, quia ſunt tantum vota caſtitatis ſecundum quid, ſeu partialis, ac proinde non reſervata, quamvis diſpenſari, nec commutari debeant niſi ratione periculi majoris peccati, quod inſpecta pœnitentis, ſeu voventis fragilitate timetur.

Idem dicendum de voto caſtitatis non perpetuæ, ſed ad tempus determinatum, puta ad annum, quia hoc non eſt votum caſtitatis ſimpliciter, & abſolutæ.

Poteſt etiam commutari, & diſpenſari, votum non nubendi ex devotione emiſſum, quia non eſt votum totalis, ſed partialis caſtitatis. Unde qui ſic vovit, ſi fornicetur, non peccat contra votum, nec eſt ſacrilegus, & ſi forte contrahat matrimonium, licet ſacrilege peccet contrahendo, quia violat votum, non tamen peccat contra votum petendo, & reddendo debi-

bitum, quia tale votum nihil amplius obligat, cum non poſſit amplius ſervari.

Item votum Virginitatis emiſſum cum formali intentione ſe obligandi tantum ad cavendum primum libidinis actum, ſeu deflorationem, per quam deperditur virginitas, quia non eſt votum Caſtitatis abſolutæ, & ſimpliciter, ſed limitatæ; ſecus autem ſi votum virginitatis emittatur abſolute, & ſimpliciter abſque illa formali intentione, in quo caſu utique eſſet reſervatum.

Præterea diſpenſari poteſt, & commutari ab Epiſcopo votum caſtitatis, quando ſeorſim, & diſtinctis vicibus emiſſa ſunt plura vota, quæ unita inducunt obligationem ad perpetuam caſtitatem, ut cum quis emittit votum non nubendi, deinde non fornicandi, poſtea non committendi aliqua peccata luxuriæ; Ratio eſt quia quodlibet poteſt commutari, & diſpenſari, cum ſit caſtitatis limitatæ; ergo etiam omnia ſimul, cum per accidens unum ad aliud ſe habeat, niſi ultimum ſit emiſſum cum formali intentione ſe obligandi ad perpetuam caſtitatem.

Nec denique reſervatum eſt votum aſſumendi Ordines Sacros, quia non eſt caſtitatis promiſſæ, ſed promittendæ; unde non peccaret contra votum fornicando, aut petendo ſeu reddendo debitum poſt matrimonium illicite contractum.

Si quis emiſſo voto ſimplici caſtitatis, matrimonium contraheret non obtenta diſpenſatione, quamvis illicite, & cum peccato contraheret, poſſet ab Epiſcopo diſpenſari quo ad petendum debitum ratione periculi incontinentiæ frequenter contingentis ex mutua cum alio conjuge cohabitatione, tam ante, quam poſt conſummatum matrimonium; non enim

teneretur ingredi Religionem ob caſtitatem ſervandam, cum hæc non ſit incluſa in voto ſimplici caſtitatis, nec ad eam ſe obligaſſet, ac proinde poterit Epiſcopus cum illo diſpenſare ad petendum debitum propter periculum incontinentiæ, firmo remanente voto quoad alia, ut ad non fornicadum, ad non ſe polluendum, & ad caſtitatem ſervandam mortuo altero conjuge.

Si caſus occurreret obtinendæ diſpenſationis circa aliquid accidentale ipſis votis reſervatis, non circa ſubſtantiam, ſed adhuc integra manente ſubſtantia voti, tunc poteſt Epiſcopus diſpenſare; unde poteſt Epiſcopus votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem commutare in minus ſtrictam, quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis quoad ſubſtantiam, ſed quoad accidens; eadem ratione poteſt commutare peregrinationem pedeſtrem in equeſtrem.

Utrum autem in votis reſervatis poſſit Epiſcopus diſpenſare in caſu urgentis neceſſitatis, quando non eſt facilis aditus ad SummumPontificem, vel ad ejus Nuncium, ſeu ad Legatum a Latere, aut alium habentem privilegium diſpenſandi, & extet in mora periculum gravis damni ſpiritualis.

Reſpondetur affirmative, ut quando ex mora imminet periculum incontinentiæ, vel magni ſcandali, vel magni damni tertiæ perſonæ, ut ſi adſtrictus voto caſtitatis, aut Religionis Virginem defloraſſet, & ad reparandum illius honorem neceſſe foret matrimonium cum ea contrahere, & expectata Papæ diſpenſatione timeretur poſſe impediri. Item ſi morti proximus vellet ducere concubinam ad reparandum illius honorem, aut prolem legitimandam; in his, & ſimilibus caſibus gravis

&

& urgentis neceſſitatis, poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis abſolutis Caſtitatis, & Religionis, & hoc ex Epikja, ſeu ex rationabiliter præſumpta mente Pontificis, qui non cenſetur voluiſſe ſibi talia vota reſervare, cum tanto rigore, & evidenti periculo animarum.

In his tamen, & ſimilibus caſibus diſpenſatio concedenda eſt, ſolum quatenus neceſſitas obligat, & non amplius; unde diſpenſatus ab Epiſcopo in voto caſtitatis ad contrahendum matrimonium, non poteſt vi illius diſpenſationis, eo ſoluto per mortem conjugis, aliud contrahere, niſi ob aliam neceſſitatem iterum diſpenſetur, nec item vitat ſacrilegium ſi fornicatur, nam peccat contra votum, quod omnino ſolutum non eſt.

Poſſunt Prælati Regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus votis, ſicut poteſt Epiſcopus cum ſuis, quia habent juriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem in utroque foro relate ad ſuos ſubditos Religioſos; Excipiuntur quinque vota Pontifici reſervata, pro quibus inutilis eſſet talis poteſtas, ut de voto caſtitatis, & Religionis per ſe conſtat, cum ad illa teneatur Regularis ex vi ſuæ Profeſſionis, nec ab illis liberari poſſit a ſuis Prælatis; conſtat etiam de voto trium peregrinationum, cum illud ſit invalidum, cum ſanctius, & melius ſit in Clauſtris degere, quam peregrinari; Et ſi de facto emittatur, cenſetur emiſſum de conſenſu Superioris, quo negato corruit obligatio voti.

Hanc facultatem diſpenſandi in votis ſuorum Religioſorum habet Generalis in tota ſua Religione, Provincialis in ſua Provincia, Superiores locales exempti a juriſdictione Ordinarii reſpectu Religioſorum ſui Monaſterii, vel Conventus, quia omnes iſti habent juriſ-

dictionem quaſi Epiſcopalem etiam in foro externo, eamque delegare poſſunt, quia eſt poteſtas ordinaria iis competens ex officio, ac proinde delegabilis. Et omnes iſti poſſunt diſpenſare cum ſubditis in omnibus votis etiam in hypotheſi, quod eſſent emiſſa de ipſorum licentia. Poſſunt etiam diſpenſare cum ſuis ſubditis in voto tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, quia quamvis votum iſtud nequeat irritari ob rationem ſuperius adductam, poteſt tamen diſpenſari, cum non ſit reſervatum.

Poſſunt etiam Prælati Regulares diſpenſare in votis Novitiorum, quia licet non habent in illos poteſtatem dominativam, ratione cujus poſſint irritare ipſorum vota, habent tamen juriſdictionem ſpiritualem, & quaſi Epiſcopalem ad illos regulandos in ſuis actionibus, & ſic poteſtatem diſpenſandi in eorum votis, quæ poteſtas fundatur in juriſdictione ſpirituali. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in votis Novitiorum, quia cum nondum ſint profeſſi, non ſunt plene ab Epiſcoporum juriſdictione exempti, quibus proinde poſſunt ſe ſubiicere, ut cum ipſis diſpenſet, aut eorum vota commutet.

Abbatiſſæ autem, & Prioriſſæ licet poſſint irritare vota ſuarum Monialium, non tamen poſſunt in illis diſpenſare, cum non habeant juriſdictionem ſpiritualem, ad quam ſpectat poteſtas diſpenſandi.

Confeſſarii Regulares poſſunt ſæculares utriuſque ſexus undecunque ad ſe venientes diſpenſare in omnibus votis, exceptis quinque Papæ reſervatis, & hoc ex privilegio a Summis Pontificibus conceſſo. Poſſunt etiam diſpenſare cum ſæcularibus in quinque Papæ reſervatis, quando non afficiuntur reſervatione, ideſt in omnibus iis caſibus, in qui-

bus

bus diximus ſupra poſſe Epiſcopus diſpenſare. Non autem quando ſunt abſoluta, perpetua, & perfecta, in caſibus in quibus Epiſcopi ratione urgentis neceſſitatis poſſunt diſpenſare, cui ſententiæ utpote communi, & probabiliori adhæreo. Et ratio eſt, quia Epiſcopi in præfato caſu urgentis neceſſitatis diſpenſant non ex facultate, quæ per ſe ex jure ordinario iis competat, ſed ex benigna ſolum, & præſumpta voluntate Pontificis, hoc illis in eo caſu concedentis, quod dici non poteſt de Regularibus, qui conſequenter non poſſunt in illis diſpenſare etiam in caſu urgentis neceſſitatis.

Poſſunt inſuper Regulares virtute privilegiorum diſpenſare in votis habentibus adjunctum juramentum in ſui confirmationem, aut etiam ipſamet vota jurata commutare in alia opera pia, dummodo commutatio non ſit in præjudicium tertii.

Poſſunt inſuper Regulares diſpenſare ad petendum debitum cum conjugatis, qui voto caſtitatis ſive ante, ſive poſt contractum matrimonium de utriuſque conſenſu ſe adſtrinxerunt.

Advertendum tamen eſt Regulares, diſpenſationes, & commutationes votorum, quas dicimus poſſe facere virtute ſuorum privilegiorum, non debere, nec poſſe facere niſi in Sacramento Pœnitentiæ, aut ſaltem cum ſunt expoſiti ad audiendas confeſſiones.

Non poſſunt autem Regulares, nec Epiſcopi diſpenſare ad petendum, aut reddendum debitum cum illis, qui ante matrimonium, vel poſt, eo non conſummato, voverunt Religionem. Nam iſti tenentur, & poſſunt ingredi Religionem, quam voverunt, ſi nondum matrimonium ſit conſummatum.

Commutatio voti eſt ſubrogatio alterius

operis boni loco illius, quod fuit voto promiſſum, eodem vinculo manente ex virtute Religionis.

Differt ab irritatione, & diſpenſatione, quod irritatio penitus tollit obligationem voti abſque ulla cauſa ad hoc requiſita, ſed ſola voluntate habentis poteſtatem dominativam. Diſpenſatio vero tollit obligationem voti juſta, & rationabili cauſa interveniente. Commutatio autem non tollit obligationem voti, ſed eam transfert de una materia in aliam eodem vinculo manente.

Omnes illi, qui poteſtatem habent ordinariam diſpenſandi in votis, poſſunt etiam illa commutare. Unde ii, quibus tempore Jubilæi, aut vi Bullæ conceditur poteſtas diſpenſandi, poſſunt etiam vota commutare; nam cui conceditur majus, conceditur & minus, quam diſpenſare, nam per diſpenſationem tollitur vinculum voti ſimpliciter ſimplex, per commutationem vero tantum ſecundum quid, quia de una in aliam materiam transfertur; contra autem ii, quibus ratione Bullæ, ſeu Jubilæi conceditur facultas commutandi vota, non inde poſſunt in illis diſpenſare, quia facultas ad diſpenſandum longe major eſt amplior, quam facultas ad commutandum, per quam obligatio voti non tollitur, ſed loco unius, altera ſubrogatur; Ex conceſſione autem minoris privilegii non deducitur conceſſio majoris, & cui conceditur minus, non ideo cenſetur conceſſum majus. Quare Parochi, & alii ſimplices Confeſſarii ſæculares, vi Jubilæi regulariter poſſunt tantum commutare vota, non vero diſpenſare; Regulares vero fere omnes vi ſuorum privilegiorum habent facultatem commutandi vota non reſervata, & in eis diſpenſandi, prout oppor-

tunum, & expediens judicaverint.

Ad commutationem voti faciendam requiritur cauſa; nam debet fieri auctoritate Eccleſiaſtica, quæ non eſt data in deſtructionem, ſed in ædificationem, & ſi fiat abſque cauſa, Deo placere non poteſt. Veruntamen quoad commutationem non requiritur tanta cauſa, quanta ad diſpenſandum. Cauſa eſſe poterit difficultas implendi, utilitas voventis, periculum violandi &c.

Ut autem quis prudenter, & recte ſe gerat in votis commutandis, debet conſiderare tria, nempe qualitatem voti, qualitatem perſonæ, & qualitatem finis, propter quem votum factum eſt.

Diſpenſationi regulariter eſt miſcenda aliqua commutatio, quia rarius adeſt cauſa diſpenſandi omnino, & ſimpliciter, quam cum aliqua commutatione. Tum quia ſic habet praxis Sacræ Pœnitentiariæ; & quo major fuerit cauſa diſpenſandi, eo minor commutatio exigitur. Unde ſpectandum erit quid liceat ſervare ſecundum æquitatem, quid ſecundum honeſtatem, & quid expediat ſecundum utilitatem.

Aliquando expedit voti diſpenſatio totalis nulla commutatione addita, ſi videlicet adſit impedimentum obſtans executioni voti; & ſi obſtet quo ad partem, partim debet diſpenſari, & partim commutari in minus: vel ſi vovens tot emiſerit vota, ut expediat eum omnino ab aliquibus liberare; vel ſi vovens ita ſit occupatus, ut expediat nullum aliud onus illi injungere; vel quando adeſt morale periculum lapſus ſi relinquatur aliqua obligatio: vel ſi vovens tot ſcrupulis ſit vexatus, ut expediat eum omnino liberare; hæc, & ſimilia ſunt cauſa rationabilis pro tali voti diſpenſatione ſine ulla commutatione addita; ſic enim eſt praxis Ec-

cleſiæ receptiſſima, & non eſt infidelis diſpenſator Eccleſiaſticæ poteſtatis, qui ex urgenti cauſa ſic diſpenſat.

Commutatio vero ſæpius occurrit facienda. Poſt commutaionem legitime factam, & acceptatam, ſi materia ſubrogata fiat impoſſibilis, non redit, nec reviviſcit prior obligatio, nam per commutationem legitime factam extinguitur, & transfertur in materiam ſubrogatam: obligatio autem ſemel extincta non reviviſcit: ſic ſi voviſti peregrinationem, & hæc tibi fuit commutata in jejunium, ſi ob infirmimitatem, vel aliud impedimentum jejunare non vales, non teneris amplius ad peregrinationem.

Quando votum non eſt ſimpliciter diſpenſatum, nec ſimpliciter commutatum, ſed ſolum ex parte; aut quando quis poſt votum Caſtitatis, aut Religionis obtinuit diſpenſationem ad effectum nubendi cum onere quotidie recitandi aliquas preces, mortua Uxore redit votum, cum ſolum ad effectum nubendi facta ſit diſpenſatio; ſed non tenetur amplius exequi materiam ſubrogatam, quia priori obligatione redeunte, perit obligatio adimplendi materiam ſubrogatam.

CAPUT VIII.

DE FURTO.

FUrtum eſt ablatio rei facta invito Domino, & rationabiliter invito, occulte, & ſine violentia, ad differentiam rapinæ, quæ fit cum violentia.

Furtum eſt prohibitum jure divino, & humano. Materia conſtitutiva furti gravis, & letaliter peccaminoſa eſt illa quantitas, abla-

ablata qua, ſupponitur graviter invitus Dominus.

Furari parvam quantitatem per plures vices, eſt peccatum letale, quando illa modica furta coaleſcunt in quantitatem taliter notabilem, ut ſint capacia inferre damnum grave proximo, etiam ſi diviſim, & paulatim fuerint patrata.

Dices: plura peccata venialia non coaleſcunt in peccatum grave, & letale, ergo neque plura furtula in furtum grave, & letale: ſed contra, concedo antec. & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in peccatis venialibus attenditur ſpecies, quæ eſt invariabilis, & immutabilis, ſicut ſpecies hominis v. g. non poteſt tranſire ad ſpeciem leonis, ita neque &c. At in furtis attenditur quantitas, quæ eſt ſuſceptiva magis, & minus, & capax incrementi, & decrementi, ideoque plura furtula ſicut coaleſcunt in quantitatem gravem, ideo conſtituunt peccatum grave, & mortale.

Si plures furarentur quantitatem gravem, itaut ſinguli parvam quantitatem furati eſſent, peccarent ne ſinguli graviter? Diſtinguo, ſi omnes unitim convenerunt ad furandum, ſinguli peccaverunt mortaliter, ſi vero diviſim, ſinguli ſcilicet independenter a ſingulis, negative dicendum. Quæres quanta quantitas requiratur, ut ſufficiant ad furtum grave.

Reſpondeo penes pauperem Regulariter, & ut plurimum duos julios ſufficere, penes divitem, ſex; penes Principem, duos aureos.

Si famuli non poſſent aliter habere ſuum ſalarium, quam furando tantam quantitatem compenſativam ſui ſalarii, tunc eſſet iis licita talis compenſatio, dummodo non excedant, nam ſi excederent, tenerentur reſtituere quantitatem excedentem.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 36. Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam gravi.

37 Famuli, & famulæ domeſtici poſſunt occulte hæris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

CAPUT IX.
DE RESTITUTIONE.

Reſtitutio eſt actus juſtitiæ Commutativæ, quo redditur ad æqualitatem id, quod fuit injuſte ablatum, vel injuſte detentum. vel quo compenſatur damnum injuſte illatum.

Hinc radices reſtitutionis ſunt tres, videlicet res accepta, injuſta acceptio, & damnum illatum.

Si quis bona fide accipit rem alienam putatam propriam, & poſtea advertat non eſſe propriam, ſi extat, tenetur illam reſtituere; tenetur, inquam, ex ratione rei acceptæ, quia res ſemper clamat ad ſuum Dominum, ſecus fieret poſſeſſor malæ fidei, & injuſte illam retineret.

Si autem res non extat, eo quod illam comſumpſerit, ſi ex ea factus ſit locupletior, quia ſumptibus ſuis pepercerit, vel proprium conſervaverit, tenetur reſtituere id, quo eſſet factus locupletior, cum non debeat diteſcere ex re aliena.

Si vero res non extat, nec ex ea factus eſt locupletior, eo quia periit, ad nihil tenetur, tam ſi res periit caſu, quam ſi ex propria

pria culpa, etiam lata conſiſtente in defectu prudentis cuſtodiæ non adhibitæ. Si quis accepit v. gr. Horologium amici putans eſſe ſuum, & advertat poſtea non eſſe ſuum, tenetur reſtituere ex ratione rei acceptæ, quia ſemper clamat ad Dominum ſuum.

At ſi quis conſumpſiſſet bona fide aliquam rem putans eſſe ſuam, & poſtea dignoſceret non fuiſſe ſuam, ad nihil teneretur.

Si quis furto, vel rapina accepiſſet rem aliquam, teneretur eamdem reſtituere ex ratione injuſtæ acceptionis, & ſi res ablatæ, & injuſte detentæ apud raptorem, eſſent aliquo modo fructiferæ Domino rerum ablatarum, teneretur etiam ad compenſationem fructuum earumdem rerum.

Si quis occideret equum alienum, vel incenderet alienam domum &c. teneretur compenſare damnum illatum, cum ex malitia ſua ſecutum eſſet tale damnum, & ad hoc teneretur ex ratione damni illati.

Qui juberet, ut alter damnificaret proximum in bonis fortunæ, executor principaliter teneretur damnum compenſare ſi haberet in bonis; ſin autem teneretur jubens ad totum damnum compenſandum. Idem cum proportione dicendum de conſultante, & non impediente, quando autem, teneretur ex juſtitia impedire.

Cum plures ſimul concurrunt ad damnum inferendum, non ſufficit quod aliquis reſtituat ſuam portionem damni illati; ſed ſi conſocii non reſtituant, tenetur ipſe reparare totum damnum, ſi vero omnes, & ſinguli ſuam partem damni illati reparant, tunc intelligitur omnes concurrere ad reparandum in integrum.

Excuſatur quis a reſtitutione ex impotentia nedum phyſica, ſed etiam morali, cum ad im-

impoſſibile nemo teneatur, nec quis tenetur notabiliter cadere a ſuo ſtatu, niſi forte ad eum ſtatum pervenerit ex furtis, ſive factus fuerit ditior ex ipſis furtis, tunc enim non eſſet cadere a ſuo ſtatu, ſed redire ad priſtinum.

Inſuper qui eſt impotens ad reſtitutionem, tenetur tollere ſuperflua ſuo ſtatui, & conari pro viribus, ut fiat potens reſtituere.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere,quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

C A P U T X.

DE CONTRACTIBUS.

Contractus in genere eſt conventio inter duos, vel plures ultro citroque obligans, vel obligans alterutram partem.

Quinque enumerantur contractus, nempe mutuum, commodatum, locatum, emptio, & venditio.

Mutuum eſt traditio pecuniæ, vel alterius rei uſu conſumptibilis cum translatione dominii, certo tempore reſtituendæ in ſimili ſpecie, & bonitate.

Commodatum eſt traditio uſus alicujus rei ſine translatione dominii, & certo tempore reſtituendæ, & fit nullo adhibito pretio; ad differentiam locati, & conducti, quibus tradi-

di-

ditur uſus rei, ſine translatione dominii, & certo tempore reſtituendæ, ſed adhibito aliquo pretio.

Emptio eſt contractus, quo emens ſolvit pretium pro merce: venditio eſt contractus, quo traditur merces emptori pro pretio.

Depoſitum eſt traditio alicujus rei cuſtodiendæ, vel cum pretio, vel ſine pretio: ſi quis mutuata pecunia, ideſt accepta in mutuum, ſpoliaretur in via a latronibus,adhuc teneretur reſtituere pecuniam mutuatam, vel ęquivalens quia translatum eſt dominium ratione mutui.

Si quis autem haberet commodatum equum, & equus periret, non teneretur ad reſtitutionem equi commodati, vel locati, quia non fuit translatum dominium, ſed tantum uſus.

Quæritur hic; an ſi res commodata, vel locata pereat, aut deterioretur, cuinam periret, aut deterioraretur?

Reſpondeo ſi pereat, aut deterioretur ſine culpa perſonæ, cui eſt commodata, vel locata, res perit Domino, nec tenetur reſtituere; ſi vero intervenerit culpa, tenetur pro modo culpæ reſtituere, & damnum reſarcire.

Hinc ſi quis, cui eſt commodatus, vel locatus equus, eat curſu præcipiti, vel quid ſimile agat contra intentionem Domini, & ex inde equus pereat, aut notabiliter deterioretur, pro modo damni illati reſtituere, & reſarcire tenetur.

Quæritur autem quænam culpa debeat intervenire, ut quis ad reſtitutionem obligetur?

Hinc non quæritur de culpa theologica, quæ dividitur in mortalem, & venialem,ſed de culpa civili, & legali, quæ conſiſtit in defectu cuſtodiæ,& eſſe poteſt ſine peccato, quæ culpa dividitur in culpam latam, & in culpam levem. Culpa lata eſt defectus illius cuſtodiæ, quam ſo-

ſolent homines prudentes, & cauti adhibere in conſervandis propriis rebus. Culpa autem levis eſt defectus cuſtodiæ quam ſolent adhibere homines cautiſſimi, ad quod quis non obligatur. Hinc ſi culpa ſit lata, tenetur quis ad reſtitutionem, non tenetur autem ſi culpa ſit levis; eodem modo eſt diſcurrendum de depoſito, ſeu de re tradita in depoſitum.

Si quis uteretur re ſibi depoſita, ex cujus uſu deterioraretur, teneretur compenſare, quia in depoſito neque transfertur uſus.

In contractibus emptionis, & venditionis fit mutua translatio dominii, ſcilicet pretii in venditorem, & mercis in emptorem.

Unde eſt notandum, quod ut contractus venditionis ſit juſtus, & licitus, debet eſſet immunis ab omni fraude, quæ ex duplici capite provenire poteſt, aut in alteratione pretii, cum ſcilicet pluris venditur res, quam valet, aut in alteratione mercis, quando res vitioſa, & vilis venditur pro bona, & pretioſa.

Pretium rerum duplex eſt, aliud legitimum, ſeu legale, & eſt valor taxatus a Principe, & hoc conſiſtit in indiviſibili, & non poteſt ad libitum variari. Aliud naturale, & eſt valor mercis juxta communem exiſtimationem menſurabilis, & iſtud non conſiſtit in indiviſibili, ſed dividitur in pretium ſummum, medium, & infimum, & quodlibet ex iſtis pretiis eſt juſtum, ita ut nequeat alterari abſque legitimo titulo ſine injuſtitia, vel gravi, vel levi, juxta gravem, vel levem alterationem pretii.

CA.

CAPUT XI.

DE RELIQUIS CONTRACTIBUS.

Contractus ſocietatis eſt conventio inter duos, vel plures ponentes ſortem in negotio aliquo, cum obligatione dividendi fructus perceptos, ſive lucrum in negotiatione, vel damna, ſi quæ acciderint, ita ut tamen ſi ſors ſociorum ſit æqualis, & pericula æqualia, æqualiter debet dividi lucrum: ſi vero inæqualis, inæqualiter eſt dividendum ad ratam inæqualitatis ſortis.

Contractus mohatra eſt venditio rei ad ſummum pretium pecunia numerata; contractus iſte eſt illicitus, cujus malitia conſiſtit in lucro ex mutuo palliato, quod lucrum eſt uſurarium. Dixi ex mutuo palliato, quia eſt ſub prætextu venditionis, & retrovenditionis.

Cambium eſt negotiatio in commutatione, & tranſportatione nummorum,& ut plurimum fit pur litteras.

Cenſus definitur contractus venditionis, quo per pecuniam traditam emitur jus ad percipiendum annuum redditum ſuper rem aliquam fructiferam ſecuritati pecuniæ ſubjectam.

Monopolium eſt conventio, ſeu pactum Mercatorum, ut rem illorum vendant infra tale pretium inter ipſos conventionatum.

Aliam ſpeciem monopolii ſolent mercatores præcipue in nundinis committere, & eſt quando unus, vel plures conveniunt ad emendum merces omnes alicujus ſpeciei, ut earum pretium augeatur.

Monopolium eſt peccatum mortale, quia eſt

eſt contra juſtitiam propter notabile populorum damnum.

Uſucapio, ſeu præſcriptio eſt acquiſitio dominii alicujus rei per continuatam poſſeſſionem toto tempore præfinito a jure. Ad licitam præſcriptionem requiritur poſſeſſio continuata nunquam interrupta, nec unquam impugnata per totum tempus præfinitum a jure; Et inſuper requiritur, quod ſit in poſſeſſione bona fide, qua quis poſſideat rem illam tanquam ſuam.

Ad præſcribendum contra Supremos Principes, & Summum Pontificem requiruntur, & ſufficiunt centum anni; contra bona aliarum Eccleſiarum requiruntur, & ſufficiunt quadraginta anni; contra Laicos vero tempus illud, quod in jure eſt expreſſum.

Negotiatio eſt emptio alicujus rei, ut eadem invariata, & immutata, vel permutatur, vel revenditur carius, & cum lucro.

Negotiatio eſt Clericis conſtitutis in Sacris, & Regularibus prohibita a Sacris Canonibus, adeo ut ſi negotientur, peccent mortaliter.

Propoſitio damnata ad hoc caput reducenda.

Ab INNOCENTIO XI. 40. Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

CAPUT XII.

DE USURA.

Uſura eſt lucrum proveniens ex mutuo ratione mutui; dixi ratione mutui, quia ſi provenit ex alio titulo ver. gra. donationis liberæ, uſura non eſſet.

Di-

Dividitur uſura in mentalem, realem, & palliatam: mentalis eſt, qua quis ſine pacto externo mutuat cum intentione percipiendi lucrum ex mutuo; ita ut ſi quantitas lucri, quod intendit percipere, ſit notabilis, erit peccatum grave, quia actus internus eſt ejuſdem ſpeciei cum externo; ſi autem non ſit intentio, ſed pura ſpes recipiendi aliquid ex pura gratitudine, ac liberalitate, nullum erit peccatum.

Uſura realis eſt, qua quis dat mutuum cum pacto lucri, ſive pactum ſit expreſſum, ſive tantum implicitum, ſufficiens tamen ad declarandam intentionem uſurariam.

Uſura palliata eſt, quando ſub prætextu aliquo, puta donationis, aut venditionis, vel alterius ficti, vel colorati contractus, aliquid exigitur ſupra mutuum, ſeu ſupra ſortem, ut v. g. mutuare pecuniam ſub pacto donationis v. g. equi, vel ejuſdem venditionis.

In Uſura letaliter peccaminoſa, ſufficit ea quantitas, quæ in furto ſufficit ad letale, ſeu quæ ſufficit ad furtum letale.

Uſurarius publicus non eſt abſolvendus, niſi ſatisfecerit creditoribus, & etiam Eccleſiæ, quia eſt excommunicatus.

Excuſatur quis ab accipiendo pretium in mutuo ultra ſortem ob lucrum ceſſans, & ob damnum emergens.

Ut verificetur lucrum ceſſans, requiritur quod quis ex una parte habeat intentionem determinatam, & ex alia promptam occaſionem applicandi ſuam pecuniam in negotiatione ſibi utili, & lucrativa; Inſuper requiritur, quod non accipiatur tantum, quantum lucrum in negotiatione ſperatum valeret, ſed detrahatur aliquid reſpectu expenſarum, laborum, & diſcriminum, quæ quis in negotiatione ſubire cogitur.

Da-

Damnum emergens eſt detrimentum, quod quis patitur in ſuis bonis, præciſe ratione mutui, & ad hoc requiritur, quod damnum non aliunde proveniat, quam ex ratione mutui; puta ſi defectu pecuniæ mutuatæ agrum ſuum colere non potuit, aut damna reſarcire, quod utrumque præſtare erat paratus. Cæterum ſi damnum proveniret aliunde, puta ſi accideret ex negligentia, vel malitia mutuantis, non tenetur mutuatarius illud reſarcire.

Inſuper requiritur, quod lucrum non excedat damnum, ſecus talis exceſſus eſſet ratione mutui, & per conſequens uſurarius.

Uſura eſt prohibita, quia intrinſece mala, cujus malitia conſiſtit in injuſtitia, percipiendo lucrum ex re non ſua, quia in mutuo ſit translatio dominii rei mutuatæ in mutuatarium, ratione cujus mutuans non poſſet percipere lucrum ex mutuo.

Mutuans intelligitur ille, qui dat in mutuum, vel in impræſtitum; mutuatarius vero eſt ille, qui recipit mutuum, vel in impræſtitum.

Univerſaliter loquendo intervenit uſura quotieſcumque inducitur aliqua obligatio onerosa ex pacto expreſſo, vel tacito in mutuatario a mutuante, quæ ſit pretio æſtimabilis, & lucroſa ipſi mutuanti.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. U-

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.

CAPUT XIII.

DE SIMONIA.

SImonia graviſſimum delictum a Simone Mago nomen traxit, quia iſte præ omnibus aliis gravius deliquit, dum emere voluit gratiam conferendi Spiritum Sanctum, cum enim legatur 8. Actuum Apo. videns dari viſibiliter Spiritum Sanctum, per impoſitionem manuum Apoſtolorum obtulit Apoſtolis pecuniam dicens: *Date & mihi hanc poteſtatem, ur cuicumque impoſuero manus, accipiant Spiritum Sanctum*, cui reſpondit Petrus, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*. Volebat enim ſacrilegus talem poteſtatem emere, ut negotiaretur, & iterum vendere. Unde

Simonia ſic definitur, ſtudioſa ſcilicet voluntas emendi, vel vendendi rem ſpiritualem, aut ſpirituali annexam pro pretio temporali, ſeu ſtudioſa voluntas contractandi rem ſpiritualem pro temporali.

Dicitur ſtudioſa voluntas, ideſt deliberata cum advertentia mali, ad innuendum ſimoniæ peccatum, poſſe etiam committi ſola voluntate, & intentione operantis, quin hæc iniqua intentio procedat in actum, & exterius manifeſtetur.

Dicitur emendi, vel vendendi, quæ verba non ſunt accipienda in ſtricta, & rigoroſa ſignificatione, pro ut important contractum ve-

veræ emptionis, & venditionis, ſed late pro qnocumque contractu oneroſo, ſeu pacto etiam ſolum implicito dandi, vel accipiendi rem temporalem pro ſpirituali tamquam pretium.

Dicitur rem ſpiritualem, aut ſpirituali annexam, ad indicandam materiam, circa quam verſatur ſimonia, & unde contractus redditur Simoniacus. Nomine autem rei ſpiritualis hic intelliguntur dona gratiæ, Sacramenta, ſacramentalia, omneſque uſus ſupernaturalis, & Sacræ poteſtatis, Profeſſio Religioſa, Beneficia Eccleſiaſtica, & quid quid ſacrum eſt, vel annexum cum ſpirituali, & ſacro.

Dicitur pro pretio temporali, nomine cujus non venit ſolum pecunia numerata, quæ ſolet eſſe pretium rerum venalium, ſed venit quidquid pecunia æſtimari poteſt, ſeu quælibet res temporalis æſtimabilis & utilis, pro qua detur ſpirituale; Et hoc pretium ſimoniacum dividitur in munus a manu, in munus a lingua, & in munus ab obſequio, quæ diviſio habetur in corpore Juris.

Per munus a manu, intelligitur non ſolum pecunia ſive numerata, ſive promiſſa, ſed etiam res quælibet temporalis externa pecunia æſtimabilis, aut quæ afferat utilitatem aliquam, vel commodum temporale aptum movere animum ad collationem rei ſpiritualis. Per munus a lingua intelligitur favor, aut gratia humana mediis precibus, & commendationibus obtinenda pro collatore rei ſpiritualis. Per munus ab obſequio intelligitur famulatus, quem quis exhibet pro conſecutione alicujus Eccleſiaſtici Beneficii, aut alterius rei ſpiritualis.

Ratio hujus diviſionis eſt, quia ſimpliciter poteſt quis commodum ſeu munus temporale per-

percipere ab alio, vel ex parte animæ, ut amicitia, vel favor alicujus mediis precibus, & commendationibus reputatis, & ſic eſt munus a lingua. Vel ex parte corporis, & hoc dupliciter, vel eſt actus aliquis corporaliter exercitus, ut famulatus, & ſic eſt munus ab obſequio, vel eſt aliquid exteriorum bonorum, & ſic eſt munus a manu; quolibet ergo ex his modis committi poteſt ſimonia, cum pro aliquo illorum confertur aliquod ſpirituale, aut ſpirituali annexum; ſemper enim verum eſt dicere, quod conferatur pro temporali tanquam pretio, quia quod cumque munus, ſive ſit a manu, ſive ſit a lingua, ſive ab obſequio, eſt pecunia ęſtimabile, ſic ergo peccatum eſt ſimoniæ ſi conferatur ſpirituale pro mnnere ab obſequio, a manu, & a lingua, ſi ad hæc habeatur reſpectus.

Unde Epiſcopus conferens pro munere ab obſequio Beneficium Eccleſiaſticum, committit ſimoniam. Poteſt namque Epiſcopus Clericum ſibi ſervientem alio modo remunerare. Si tamen Epiſcopus expertus ſit meritum, & dignitatem Clerici ex diuturnitate temporis, quo ei ſervivit; poterit ei licite conferre Eccleſiaſticum Beneficium, habito reſpectu ad dignitatem, & meritum, & non ad ſervitium impenſum.

Simonia eſt peccatum graviſſimum Sacrilegii contra virtutem Relig-onis, quia per ipſam maxima injuria irrogatur Deo, & rebus ſacris, quæ vilipenduntur, dum temporali pretio æſtimantur; venditur, quod venale non eſt, cum excedat omne pretium temporale, & cujus quis non eſt Dominus, ſed tantum diſpenſator, qui proinde ſicut gratis accepit, gratis etiam conferre debet, non pro munere aliquo, ſeu pretio temporali, ſic præcipiente Domino ipſo in Evangelio. Unde eius malltia conſiſtit in irre-

irreligioſa, & indigna tractatione rei ſpiritualis, & ſacræ, quæ ita vilis æſtimatur, ut in commutationem rerum temporalium venire poſſit.

Et hoc ſimoniæ peccatum eſt ex intrinſeca ſua ratione ſemper peccatum grave, adeo ut ne quidem ex parvitate materiæ excuſatur a peccato mortali, ſive parvitas materiæ ſit ex parte pretii, ſive ſit ex parte ipſius rei ſpiritualis, quatenus ſit modica, & exigua, quia quantumvis res ſpiritualis ſit, non poteſt effici venalis ſine gravi iniuria Dei, & ipſius rei ſpiritualis, quæ ſic contemnitur, & tanquam quid vile tractatur, cum nullum ſit pretium humanum, quo res ſacra, & ſpiritualis licet minima comparari queat.

Nec a fortiori excuſat ſi parvitas materiæ ſit ex parte pretii, immo vendere rem ſpiritualem modico pretio, ut bene advertit Divus Thomas majus peccatum eſt, quia cum nullum ſit pretium temporale, ac humauum, quo res ſpiritualis poſſit comparari, ac æſtimari, eam comparare, & æſtimare modico pretio, eſt eam facere viliorem, & in majorem contemptum habere. Tantum igitur abeſt, quod parvitas materiæ ex parte pretii excuſet, quin immo auget ſimoniæ peccatum, illudque gravius reddit.

Eſto in foro exteriori non judicetur collatio rei ſpiritualis pro munere temporali, quando hoc eſt ita modicum, ut præſumatur non inclinare animum conferentis rem ſpiritualem, qnia illud modicum præſumitur gratis, & liberaliter datum, nec ut pretium ipſius rei ſpiritualis. Quod utique verum eſt in foro externo, & quantum ad judicium Eccleſiæ, quæ ex exterioribus ſic præſumit.

Cæterum in foro interno conſcientiæ, & coram

ram Deo, qui ſcrutator eſt cordium, peccatum ſimoniæ non evitatur, quantumvis munus propter quod ſpirituale datur, ſit modicum, & levis momenti, immo gravius peccatum eſt, eo quod vilius tractetur res ſpiritualis, & in majorem contemptum habeatur, ut jam dixi cum Divo Thoma.

Per Simoniam nedum committitur ſacrilegium, ſed etiam injuſtitia, quando ſcilicet ratione ſpiritualitatis accipitur pretium temporale. Quia ſpiritualia non ſunt pretio æſtimabilia, nec vendi poſſunt contra voluntatem Domini, præcipientis gratis eſſe danda, ait enim Chriſtus in Evangelio: *gratis accepiſtis, gratis date;* ergo qui pretio accipit, non ſolum peccat contra Religionem irreverenter tractando rem ſacram, ſed etiam contra juſtitiam, accipiendo falſo titulo pecuniam alienam pro re non ſua, & quam vendere non poteſt, cum debeat eſſe purus illius diſpenſator, ut meus ait Apoſtolus; *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, & ut etiam ait Divus Petrus. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum, illam adminiſtrantes*.

Simonia dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis, eſt traditio alicujus temporalis pro ſpirituali ſine pacto explicito, ſed tantum mente retento. Conventionalis, eſt quæ committitur ex conventione partium, quæ paciſcuntur de temporali dando, vel accipiendo pro re ſpirituali. Realis vero eſt quando ad hujuſmodi pactum conſequitur actualis traditio rei ſpiritualis, & ſolutio pretii.

Simonia etiam dividitur in palliatam, & fictam. Simonia palliata eſt oneroſa reciproca commutatio rei ſpiritualis cum temporali, pal-

liata nomine gratuitæ donationis, & contingit quando paciſcitur de dando ſpirituali, & retribuendo ex gratitudine temporali, vel e contra;ut ſi ego conveniam tecum dicens, do tibi gratis Beneficium, cum pacto, & conditione, ut tu mihi dones tuum equum, hoc enim pacto gratuitæ donationis ſimonia palliatur,ſicut palliatur uſura, ſi dicam mutuabo tibi liberaliter centum, ſi tu mihi des ex gratitudine ſex ſupra ſortem.

Simonia ficta eſt quando quis promittit dare rem temporalem pro ſpirituali,vel e contra ſine intentione revera dandi,ſed duntaxat decipiendi. Verum quia ex parte ficte promittentis deeſt prava voluntas contractandi rem ſpiritualem pro temporali, deeſt conſequenter id, quod requiritur ex parte ejuſdem ad peccatum ſimoniæ. Unde ficte ſic promittens, licet coram Deo, non peccet ſimoniace, nec incurrat in foro conſcientiæ pœnas juris contra Simoniacos latas, peccat tamen aliunde graviter propter cooperationem ad Simoniam mentalem partis, & ob ſcandalum, quod præbet aliis, ut habeatur pro ſimoniaco, & ob injuſtam proximi deceptionem,& poterit in foro externo per Judicem puniri tamquam Simoniacus propter ſimoniam præſumptam.

Eſt & alia ſimonia, quæ dicitur confidentialis, ſeu confidentia beneficialis, & eſt illa, quæ committitur in procurandis, tradendis, aut reſignandis Beneficiis Eccleſiaſticis, & tunc contingit, quando quis procurat, tradit, aut reſignat alicui beneficium cum pacto confidentiali; ut aliquando iterum ſibi reſtituatur, vel alteri reſignetur, puta nepoti, vel conſanguineo, aut cum quis ſine authoritate legitimi Superioris, neque Papæ, renunciat Beneficio reſervata penſione, ſeu parte fructuum

ctuum ſibi, vel alteri ſolvenda ad beneplacitum renunciantis.

Utrum etiam peccet Summus Pontifex ſimoniace vendendo Beneficium.

Reſpondeo cum diſtinctione: vel loquimur de beneficio quoad jus miniſtrandi ſpiritualia, & ſic Summus Pontifex neque poteſt illud vendere, neque diſpenſare, ut vendatur ſine peccato; eſt enim hoc intrinſece malum, & contra jus Divinum, ſicuti diximus. Vel loquimur de beneficio quoad jus percipiendi fructus, & temporales proventus, & ſic cum poſſit Summus Pontifex, ratione ſupremæ diſpoſitionis, quam habet circa omnia bona Eccleſiaſtica, ſeparare ſpirituale a temporali, jus percipiendi fructus temporales a jure adminiſtrandi ſpiritualia, dico illud jus vendere poſſe ſine ſimonia, uti ſuſtinent Canoniſtæ; quia facta tali ſeparatione jus percipiendi fructus temporales nullam amplius dicit connexionem ſpirituali, unde poteſt Pontifex ratione ſuæ Supremæ Poteſtatis conferre ſuum jus adminiſtrandi ſpiritualia alteri, vel ſibi reſervando jus percipiendi fructus temporales omnes, vel ſecundum aliquam partem, & hoc de facto contingit, quando penſionem aliquam imponit ſuper aliquod Beneficium, vel diſpenſat, ut imponatur. Et certe ſicuti a principio poteſt Summus Pontifex præbendas Beneficiis unire, illas deputando ad officia Eccleſiaſtica, ita poteſt illam ſeparationem, & diviſionem facere &c.

Hinc cum præter Summum Pontificem nullus alter habeat hanc ſupremam diſpenſationem bonorum Eccleſiaſticorum, & facultatem ſeparandi temporale a ſpirituali in collatione Beneficiorum, cæteri omnes Prælati, Pontifice inferiores, nequeunt etiam quo ad

jus percipiendi fructus temporales vendere Beneficia, aut penſiones imponere, vel reſervare ſine labe ſimoniæ, quia ab ipſis nequit vendi temporale jus Beneficiorum invendito ſpirituali, cui annectitur.

Dices, a quolibet Papa inferiore vendi poteſt calix conſecratus, invendita conſecratione annexa, ergo etiam vendi Beneficium, invendito ſpirituali, cui annectitur. Sed contra conc. ant. nego conſ. diſparitas eſt, quia in calice conſecrato materiale antecedit ſpirituale, hoc conſequitur ad illud, quod propterea tanquam primo, & principaliter conſideratum non amittit ſuum valorem, per conſecrationem advenientem, & ſic vendi poteſt; quod etiam valet de jure patronatus reſpectu fundi: & in Beneficio ſpirituali præcedit tamquam principale, cui annectitur temporale, propterea inſeparabiliter reſpective ad non habentes ſupremam poteſtatem ſuper omnia bona Eccleſiaſtica, quam cum non habeant inferiores Papa, ideo &c.

Univerſaliter pro Sacramentorum adminiſtratione, & actionibus ſacris poteſt abſque ſimonia dari, & accipi pecunia, ſi detur, & accipiatur non ut pretium rei ſpiritualis, ſed ut ſtipendium ſuſtentationis, aut per modum alimoniæ, aut liberalis doni, vel alio titulo honeſto.

Excipitur Sacramentum Ordinis, pro cujus collatione, licet attento jure naturali, & Divino poſſit aliquid accipi, vel tamquam ſtipendium ſuſtentationis, vel per modum eleemoſynæ &c., tamen id expreſſe in Sacris Canonibus vetitum eſt, & noviſſime in Tridentino his verbis. *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigil-*

gillo, aut alia quacumque de cauſa etiam ſponte oblatum Epiſcopi, & alii collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant.

Notario tamen Epiſcopali, ubi non ſit ei conſtitutum ſalarium, pro officio exercendo non prohibetur aliquid accipere, dummodo non plus, quam decimam partem unius auri pro ſingulis dimiſſoriis, & teſtimonialibus litteris accipiat, & Epiſcopo nullum ex eo emolumentum ſive directe, ſive indirecte obveniat juxta diſpoſitionem ejuſdem Tridentini.

Vaſa ſacra nullo modo carius ratione conſecrationis vendi poſſunt, adeout ſi ratione conſecrationis aliquid plus exigatur, quam alioquin valeant ratione materiæ,committatur ſimonia: tamen in neceſſitate Eccleſiæ vendi poſſunt, quo ad valorem ejus, quod eſt in eis pure temporale, ut materia auri, vel argenti; & tunc ſi venduntur Perſonis Eccleſiaſticis, poſſunt integra vendi; ſi autem aliis, & non ad uſum Eccleſiæ, debent prius frangi, ut conſecrationem amittant, ne ſacra tractentur ab aliis, quam a Miniſtris Eccleſiæ, ut videlicet ſacrilegia vitentur. Idem omnino dicendum de veſtibus ſacris, quæ integræ vendi non poſſunt ad uſos profanos, niſi prius mutata forma, & figura, itaut benedictionem amittant ob eandem rationem.

Ex Sacris Canonibus prohibentur omnino Chriſmata vendi, adeout ne quidem ratione ejus, quod eſt in eis materiale, præciſe poſſit ſcite recipi ſeu exigi pretium. Idem dicendum etiam de Oleis Sacris Cathecumenorum, & Infirmorum ob paritatem rationis.

Item ex Juris Canonici diſpoſitione pro loco ſimpliciter deſtinato ſepulturæ fidelium nullum pretium recipi, aut exigi poteſt. Poteſt tamen aliquid recipi pro ſepultura ſimplici-

ter: dignior locus in Eccleſia, & honor humanus, qui cum pendeat ex hominum exiſtimatione, qui mere temporale eſt, pro eo poteſt accipi pretium. Poteſt igitur pretium accipi, quando quis certum Eccleſiæ locum ſibi, & conſanguineis ſuis appropriare velit, cum jure ſcilicet, né aliquis in eo loco ſepeliatur, quia tale jus eſt pretio æſtimabile, ideoque pro eo poteſt accipi pretium.

Accipere, ſeu convenire de temporali dando pro ingreſſu formaliter in Religionem emittendo, vel pro profeſſione in eadem facienda, tamquam pretio, eſt ſimonia. Non autem ſi detur, & exigatur ſolum titulo alimentorum ad congruam ſuſtentationem ejus qui petit ingredi, & profiteri. Ratio primi eſt, quia talis receptio non ſolum in ſe, ſed etiam ratione finis eſt res maxime, & eximie ſpiritualis, ut de ſe liquet; atqui &c. ergo &c. Ratio ſecundi eſt, quia ſimonia non eſt, ubi non datur temporale pro ſpirituali; ſed in hypotheſi illud temporale, quod erogatur, ſeu de quo convenitur, non eſt pro ſpirituali, ſed pro mere temporali, nempe pro ſuſtentatione recepti ſeu recipiendi, ergo &c.

Pœnæ a Jure Canonico impoſitæ contra Simoniacos in triplici tantum caſu ſunt latæ ſententiæ, hoc eſt ipſo facto incurruntur, nempe in Ordine, in Beneficio, & in Profeſſione Religioſa; In quacumque alia Simōnia præter tres aſſignatas ſunt ſententiæ ferendæ, hoc eſt nulla pœna a jure incurritur ipſo facto, ſed ſolum per ſententiam Judicis.

Simonia in Ordine, in Beneficio, & in Profeſſione Religioſa, quo ad incurrendas ipſo facto pœnas juris, debet eſſe realis, & quidem ex utraque parte completa; Ratio eſt, quia leges pœnales conſtitutæ contra aliquod delictum

ſunt

ſunt intelligendæ de delicto perfecto, & conſummato;non enim pœnæ ſunt extendendę,ſed reſtringendæ: atqui ſola ſimonia realis ex utraque parte dantis pecuniam conventam eſt perfecta,& conſummata;ergo hęc ſola mulctatur pœna juris ipſo facto, itaut tamen ſufficiat, partem pretii eſſe ſolutam, licet non integrè totum pretium conventum, quia jam ſimonia eſt completa ex utraque parte hoc ipſo quod res principalis data propter pretium ſolutum, parumque refert ad ſimoniam, quod res ſpiritualis vendatur magno, vel parvo pretio.

Singulares perſonæ committentes ſimoniam realem quo ad ingreſſum Religionis, incurrunt ipſo facto excommunicationem majorem Summo Pontifici reſervatam; Et Capitulum ſeu Conventus incurrit pœnam ſuſpenſionis, pariter reſervatam Papæ, quæ ſuſpenſio eſt intelligenda quo ad actus Capitulares, a quibus manet ipſo facto ſuſpenſus. Et receptus ſimoniace ultra excommunicationem eſt eiiciendus a Monaſterio, in quo delictum ſimoniæ patravit, & in arctius transferendus, non quidem ipſo jure,ſed per ſententiam. Præterea Superior, & Majores monaſterii poſſunt per ſententiam Judicis ſuſpendi ab officio, immo & deponi, atque proſcribi ab ipſo monaſterio, & in aliud arctioris obſervantiæ detrudi ad agendam perfectam pœnitentiam, ac denique ipſum alioſque omnes delinquentes puniri infamiæ nota.

Committentes ſimoniam realem in Ordine, ideſt tam conferentes, quàm ſuſcipientes ſimonia quemcumque ordinem, & etiam ſecundum ſententiam valde probabilem primam Tonſuram, ſunt ipſo facto excommunicati, ſive ſuſceperint pretium ante ordinationem, ſive poſt ex conventione præcedenti. Dixi ex

conventione præcedenti; nam ſi Epiſcopus, ſeu Miniſtri ejuſdem aliquid ſponte oblatum ſine pactione prævia accipiant poſt collatam ordinationem, non ſubeunt cenſuram excommunicationis, peccant tamen graviter peccato inobedientiæ, quia faciunt contra Statutum Tridentini prohibentis acceptionem etiam ſponte oblatam, non tamen incurrunt ipſo jure aliquam Cenſuram ſeu pœnam; quandoquidem nec Tridentinum, nec alia jura ullam pœnam ſtatuunt contra ſponte, ac liberaliter dantes, & accipientes in collatione Ordinum, ſecluſa quavis pactione.

Conferentes Ordines per ſimoniam realem ipſo facto ſunt ſuſpenſi a collatione quorumcunque Ordinum, ab uſu Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi temere ſe ingeſſerint in prædictis, ſpreta tali ſuſpenſione, & interdicto, evadunt etiam ipſo facto ſuſpenſi a Regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & a perceptione omnium fructuum ſuorum beneficiorum.

Scienter ordinati ſimoniace ultra excommunicationem Papalem, ſunt etiam ipſo jure ſuſpenſi, ne dum ab exercitio Ordinum ſimoniace ſuſceptorum, ſed etiam ab aliorum ſuſceptione.

Ultra præfatas pœnas, impoſita eſt etiam contra ſimoniacos reales in Ordine pæna depoſitionis infligenda per ſententiam judicis, ſi delinquentes fuerint plene convicti; ac denique etiam pœna infamiæ, ſi contra eos procedatur criminaliter, hoc eſt ad publicam vindictam.

Hujuſmodi cenſuræ, & pœnæ ac inhabilitates ſunt reſervatæ Summo Pontifici, nec poſſunt niſi ab eodem abſolvi.

Per ſimoniam realem in Beneficio incurritur

tur ipſo facto excommunicatio Summo Pontifici reſervata, quæ excommunicatio afficit tam conferentes Beneficium pro pretio, quam recipientes, tum etiam mediatores, & procurantes, non tamen incurritur ſuſpenſio ipſo jure, quia nullibi invenitur hoc expreſſum.

Per ſimoniam realem in Beneficio ultra excommunicationem Papalem, incurritur pœna depoſitionis ab omni officio, & Beneficio, & inſuper pœna infamiæ, non tamen ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, ſi ſimoniacus realis in Beneficio ſit vel confeſſus, vel convictus judicialiter, & ſuppoſito, quod criminaliter contra eum procedatur.

Pœnæ ſpecialiter ſtatutæ contra ſimoniam confidentialem, quæ locum habet tantum in Beneficiis Eccleſiaſticis contentæ in Bullis Pii IV., & Pii V. ſunt. Primo Excommunicatio Papæ reſervata, quæ afficit tam reſignantes, quam accipientes Beneficium cum eo pacto confidentiali. Secundo interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Tertio nullitas collationis Beneficii realiter factæ. Quarto reſervatio Sedi Apoſtolicæ Beneficii realiter reſignati; ita ut Ordinarius non poſſit in illius proviſione ſe ingerere. Quinto applicatio Cameræ Apoſtolicæ fructuum male perceptorum ex Beneficio cum ea confidentia tradito, & acceptato. Sexto privatio omnium Beneficiorum, & inhabilitas ad alia in poſterum obtinenda.

Quæ pœnæ incurruntur ipſo facto, excepta privatione Beneficiorum antea rite poſſeſſorum, hæc enim non niſi poſt ſententiam criminis declaratoriam incurritur, excepta etiam inhabilitate ad omnia alia Beneficia, quæ etiam expoſtulat ſententiam Judicis.

Non eſt tamen neceſſe ad incurrendas hujuſmodi pœnas in ſimonia confidentiali, hanc de-

debere ex utràque parte eſſe completam, hoc eſt Beneficium in confidentia traditum iterum renunciari, ſed ſufficere ſi Beneficium tradatur ea conditione, & pacto, ut aliquando vel ipſi reſignanti reſtituatur, vel alteri reſignetur, vel fructus, vel pars illorum ſalvetur, & ea intentione accipiatur, ut habetur in præfatis Bullis.

Simonia non eſt, quando datur temporale mere gratis, ſperando dumtaxat, quod ex gratitudine donetur ſpirituale, aut e contra: ut ſi Clericus ſerviat Epiſcopo mere gratis, ſperans, ex gratitudine accepturum ab eo aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, nullam incurreret labem ſimoniæ. Quod autem non datur mere gratis, ſed cum aliquo veluti pacto ſaltem implicito, tribuendo videlicet temporale non mere benevole, ſed cum intentione aliquo modo obligandi ad recompenſandum temporale cum re ſpirituali, aut e contra, tunc eſt ſimonia. Ratio enim eſt, quia in primo caſu nullum involvitur pactum, nec intentio commutandi rem ſpiritualem pro temporali, bene vero in ſecundo, & ideo in ſecundo caſu ſimonia committitur ſaltem mentalis, non ſic in primo.

Neque cum pacto ſolum obligante ex benevolentia, & gratitudine dari poteſt temporale pro ſpirituali abſqe ſimonia, itaut temporale ſit veluti gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra. Quia quod in temporalibus eſt uſura, in ſpiritualibus eſt ſimonia.

Unde ſicut uſura eſt, dum propter mutuum paciſcitur dandum aliquid etiam ſolum ex benevolentia, & gratitudine; ſic etiam ſimonia eſt, dum paciſcitur aliquod retribuendum etiam ſolum ex beneficentia, & gratitudine propter rem ipſam ſpiritualem; præcipiente Domino, gratis omnino eſſe dandum, juxta illud: *Gratis accepiſtis, gratis date*; quod enim

enim datur ex aliquo debito in pactum deducto, non datur gratis.

Quia nova illa obligatio, quæ conſurgit ratione talis pacti ſupra obligationem antidoralem naturalis gratitudinis, addit novum gravamen pretio æſtimabile, ita ut qui pactum hujuſmodi non ſervat, eſto alia vice ſatisfaciat obligationi antidorali, videlicet, aut orando pro benefactore, aut laudando illum, aut exhibendo ſe paratum ad obſequia &c. notetur tamen ut injuſtus, vel ſaltem ut infidelis. Tum quia gratitudo de ſe non obligat ad hoc determinate præſtandum, ad quod obligat pactum illud prævium. Tum quia in morali exiſtimatione cenſetur vendere qui donat verbi gratia domum cum conditione, quod ſibi redonetur pretium æquivalens. Tum denique quia ſi hæc via obligandi ex gratitudine eſſet laudata, immenſum pateret oſtium uſuris, & ſimoniis. Poſſet enim Epiſcopus dicere, dono tibi Beneficium, ſi mihi ex gratitudine famularis, vel ſi tuis commendationibus obtineas mihi apud Principem favorem amicitiæ, quæ tamen propoſitio ſe ipſam deſtruit, & falſificat, quia re vera in communi exiſtimatione vendit, & nihil præter verba donat, eo enim pacto gratitudinis, aut gratuitæ compenſationis uſura, & ſimonia palliatur.

Addo cum Divo Thoma, ſimoniam in hoc diſcriminari poſſe ab uſura, quod eſto citra uſuram poſſit aliquid ſponte, ac liberaliter dari mutuanti in gratuitam compenſationem propter ipſum mutuum, tum quia mutuans dat quod ſuum eſt; tum quia temporale eſt compenſabile cum temporali: non poteſt tamen citra Simoniam dari temporale pro ſpirituali, nec quidem in gratuitam compenſa-

tionem pro re ipſa ſpirituali, quia nequit ſpirituale compenſari cum illo bono temporali, ſeu pari pondere rependi citra irreverentiam erga rem ſacram, quæ cum ſit in alio ordine longe excellentiori ſupra quodlibet temporale, nequit ullatenus cum eo æquiparari. Tum etiam quia qui dat ſpirituale, non dat quod ſuum eſt, ſed quod eſt Chriſti, & Eccleſiæ: Undè poteſt quidem ob amorem benevolum aliqua gratitudo exerceri erga ipſum collatorem rei ſpiritualis, at ob rem ipſam ſpiritualem gratitudo unice exerceri debet Eccleſiæ ac Deo.

Hinc Famuli Epiſcopi ſimoniam committunt, ſi inſerviant animo obligandi Epiſcopum, ut beneficio aliquo recompenſet famulatum, & viceverſa Epiſcopus ſimoniacus eſſet, ſi conferret Beneficium tamquam debitum, ſeu in gratuitam compenſationem pro Famulatu. Regulariter tamen excuſantur Famuli, qui congruam mercedem habentes, ſolum ſperant Beneficium, quin intendant Epiſcopum obligare ad illud conferendum, e contra vero ij, qui debita mercede fraudantur.

Univerſaliter loquendo dare temporale pro ſpirituali tanquam motivum, intendendo commutare unum pro alio, committitur ſimonia.

Qui offert pecuniam, ut in Prælatum Regularem eligatur, ſimoniam committit, non ſecus ac qui pecuniam offert ad Beneficium obtinendum.

Utrum autem ſimoniam committant Regulares, quando in Capitulis inter ſe ita conveniunt. Ego eligam te in Provincialem, ſi tu eligas me in Generalem. Dicendum, hunc contractum eſſe quidem illicitum propter crimen ambitus, non tamen ſimoniacum, quia non

non commutatur temporale cum ſpirituali, ſed ſpirituale cum ſpirituali.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 22. Non eſt contra juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Ab INNOCENTIO XI. 45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet etiam ſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis; ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

CAPUT XIV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS.

Virtutes theologales ſunt tres, nempe Fides, Spes, & Charitas. Dicuntur Theologales, quatenus habent Deum immediate pro objecto, non ſolum formali, ſed etiam materiali primario. Nam Fides credit Deum Deo, ſpes ſperat Deum in Deum, & Charitas diligit Deum propter Deum.

Fides eſt virtus, qua firmiter aſſentimur

iis, quæ a Deo revelata ſunt, & propoſita ab Eccleſia a nobis credenda.

Spes eſt Virtus, qua certo ſperamus futuram beatitudinem mediis bonis operibus ex Dei gratia provenientibus.

Charitas eſt Virtus, qua Deum ſuper omnia diligimus propter ſe, ideſt propter ſuam infinitam bonitatem ſuper omnia diligibilem, & proximum propter ipſum Deum.

Fac actum Fidei. Credo Deum eſſe unicum, & Trinum, Unum in Eſſentia, Trinum in Perſonis, & Filium Dei propter nos homines, & propter noſtram ſalutem eſſe incarnatum, quia Deus ita revelavit Eccleſiæ, & Eccleſia mihi proponit credendum.

Fac actum Spei. Spero obtinere Beatitudinem, ſi bona opera faciam mediante Divina Gratia ex meritis Chriſti data.

Fac actum Charitatis. Diligo toto corde Deum, quia ſumme bonus, & amabilis eſt.

Datur præceptum harum virtutum obligans ſub letali, non ſolum negativum, ſed etiam affirmativum. Præceptum negativum obligat ad ſemper, & pro ſemper. Nunquam enim licitum eſt diſſentiri iis, quæ ſunt a Deo revelata Eccleſiæ, & Eccleſia nobis proponit credenda, nec unquam deſperare, ac diffidere de Miſericordia Divina, nec unquam odio habere Deum.

Præceptum autem affirmativum non obligat ad ſemper; non enim tenemur ſemper eſſe in actuali exercitio harum Virtutum, ſed aliquoties, & primo cum quis perventus ad uſum rationis eſt ſufficienter inſtructus de rebus fidei, ſecundo in articulo mortis, tertio pluries in vitæ decurſu, & ſemel ſaltem ſingulis annis, quarto quoties quis gravi aliqua tentatione urgetur contra has virtutes.

Hinc

Hinc Parentes, Paſtores, & curam Animarum habentes tenentur ſub letali, filios, & animas ſibi commiſſas ad uſum rationis pervenientes inſtruere de Myſteriis Fidei, itaut ſi diutius quam par eſt, differant illi docere, & iſti addiſcere, peccant graviter pro modo culpæ, & negligentiæ adhibitæ.

Unde ſi quis accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum ignorantia Myſteriorum Fidei, præſertim Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Jeſu Chriſti Domini Noſtri, non eſſet capax abſolutionis. Et Confeſſarius ignorantiam hujuſmodi in Pœnitente diſcooperiens, vel deberet eum inſtruere ante abſolutionem, ut fide concepta talium Myſteriorum pro ut oportet, fiat capax abſolutionis, vel eum remittere inabſolutum, donec ea didicerit, & fidem eorundem habeat.

Quantum ad obligationem eorum, quæ credenda ſunt Fide Divina. Primo unuſquiſque tenetur explicite credere unum Deum Creatorem omnium, Remuneratorem bonorum, & vindicem malorum, & hæc fides fuit ſemper in omni lege cuicunque neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio, & conſecutio æternæ ſalutis, ut habetur ex Apoſtolo ad Hebræos 2. & declaratum eſt in Conciliis. Secundo neceſſarium eſt etiam neceſſitate medii ad æternam ſalutem, ut unuſquiſque fide explicita credat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis, itaut non ſufficiat in ullo prorſus eventu fides tantum implicita horum myſteriorum contenta in fide explicita Dei exiſtentis, & Remuneratoris, cum fides horum myſteriorum ſit præcipua in lege gratiæ poſt promulgationem Evangelii jam ubique Terrarum ſufficientiſſime factam, adeout dari nequeat igno-

ignorantia eorum invicibilis ſtante ordinatione præſentis providentiæ.

Unde in caſu, quo quis eſſet enutritus in ſylvis, & faceret quantum in ſe eſt, vivendo juxta legem naturalem, Deus qui quantum eſt ex ſe vult omnes ſalvos fieri, niſi per ipſos ſtet, quod non ſalvi fiant, & qui neminem deſerit, niſi prius deſeratur, certiſſime non permitteret, ſic operantem mori, donec eum, vel per Angelum, vel per hominem induxerit in agnitionem Fidei Myſteriorum neceſſariæ neceſſitate medii ad æternam ſalutem, ut docet Divus Thomas. Si autem non faceret ſylvicola ille quantum in ſe eſt, & peccaret contra legem naturalem, jam non careret fide invincibiliter, ſed ex propria culpa ignorantiam ejus haberet, ſicque &c.

Tertio tenetur unuſquiſque neceſſitate ſaltem præcepti ſcire juxta captum, & credere explicite articulos omnes contentos in Symbolo Apoſtolorum, ut patet ex praxi Eccleſiæ, quæ ſollicite curat, ut articulos in eo contentos addiſcant, nullumque adultum admittit ad Baptiſmum, quin prius profiteatur, ſe contenta in Apoſtolorum Symbolo credere.

Præterea ex præcepto tenetur quiſque ſcire pro modo captus, & credere explicite Sacramenta ad ſalutem maxime neceſſaria, ut ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia, ac Miſſæ Sacrificium; nec non etiam Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ; ita ut ſi neglexerit differendo diu, quam poteſt hæc omnia addiſcere ac ſcire pro modo captus, culpabilis fiat.

Utrum ſemper ante ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ debeant exerceri actus Fidei, ac Spei tamquam præviæ diſpoſitiones

ad

ad juſtificationem in ipſo Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.

Ad hoc reſpondetur, quod licet Pœnitens ex præcepto Fidei teneatur credidiſſe ſuo tempore, quæ credenda ſunt, non tenetur tamen ſemper elicere actus fidei formales, & explicitos de myſteriis credendis præciſe, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ diſponatur, ſed ſufficit quod habeat iſtos actus Fidei, & Spei virtualiter, ſeu implicite, quos peccator fidelis habet, dum accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ veniam quærit a Deo, & juſtificationem ex ejus miſericordia expectat.

Atque hinc etiam licet actus expliciti, & formales Fidei, & Spei ſint præmittendi ad primam juſtificationem Adulti, tanquam medium ad eam neceſſarium, non tamen ad ſubſequentes propter eandem rationem, ſuppoſita perſeverantia ipſius in Fide Myſteriorum, quę in peccatore fideli non amittitur, niſi per peccatum infidelitatis, non vero per quodcumque aliud, ut definitum eſt in Tridentino.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Ab eodem. Sententia aſſerens, Bullam Cænæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſ. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Præ-

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

Ab INNOCENTIO XI. 4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actus dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificemur.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præcepto ſpeciali, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt, actum Fidei ſemel in vita elicere.

18. Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet ne non locutus ſit Deus.

22. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex teſtimonio creatura-

ra-

rarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

65. Sufficit illa myſteria ſemel crediditſe.

Ab ALEXANDRO VIII. Prima. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum, ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ mortalis.

10. Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare.

13. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

14. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

15. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

17. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

25. Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

28. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

CAPUT XV.

DE HÆRESI.

HÆreſis eſt error intellectus cum pertinacia voluntatis contra aliquod Dogma fidei. Hæc pertinacia conſiſtit in hoc, quod quis ſciat ſuam opinionem eſſe contra Doctrinam, & Definitionem Eccleſiæ, & nihilominus velit obſtinate in ſua falſitate permanere.

Quæres: an dubitans de aliqua veritate fidei, peccet contra fidem. Reſpondeo, vel dubitat exiſtimando, eam fidei veritatem eſſe dubiam, quo modo eſt dubitare poſitive de fide, & ſic peccat, quia negat infallibilitatem fidei: vel dubitat, omittendo credere, dum tentatur contra fidem, ob difficultates in contrarium ei occurrentes, quo modo eſt dubitare negative, & ſic etiam peccat, quia tanti æſtimat difficultates contrarias, quanti Auctoritatem Dei, quod eſt valde ipſi injurioſum, cum debeat præferri ſuper omnia, quæ poſſunt opponi captivando intellectum in obſequium Chriſti, ut ait Apoſtolus. Vel dubitat involuntarie nullum præbendo conſenſum, quinimmo ſibi diſplicendo, quod hujuſmodi dubia ſuæ menti obverſentur, & conando per actus fidei ea repellere, quo modo eſt dubitare pure cogitanter, & ſuggeſtive, & hoc modo nullatenus peccat, quinimmo merebitur patiendo moleſtiam, & repellendo hujuſmodi tentationes, quod frequenter evenit in pluribus timoratæ conſcientiæ tam viris, quam fœminis.

Hæreſis vel eſt mere interna, vel prodiit in actum externum, videlicet ſigno externo mani-

nifeſtata, hæc, non illa, ſubjacet pœnis Juris.

Hæreſis externa vel eſt occulta, vel eſt notoria, ac publica; occulta eſt, quæ vel nemini, vel ſolum quibuſdam paucis innoteſcit; notoria vero ſeu publica eſt, quæ multis eſt nota, ac divulgata apud majorem partem communitatis. Quod enim non innoteſcit majori parti communitatis, ſed quibuſdam ſolum, moraliter, & ſecundum jura cenſetur occultum adverſative ad notorium, & publicum.

Hæreticus ultra alias pœnas in jure expreſſas, eſt ipſo facto excommunicatus excommunicatione Summo Pontifici reſervata in Bulla Cœnæ; Et quamvis notorius, non eſt vitandus, niſi ſit declaratus, & denuntiatus.

Hæreticus notorius non poteſt abſolvi, niſi a Summo Pontifice; utrum autem quando ſit occultus, & vere pœnitens poſſit abſolvi ab Epiſcopo, quod eſt idem ac quærere, an Epiſcopus poſſit abſolvere ab hæreſi, quando eſt occulta modo ſupra explicato. Doctores ſtant hinc inde. Alii enim tenent, poſſe Epiſcopum ex facultate conceſſa a Tridentino abſolvere ab hæreſi, quando eſt occulta, ſicut etiam ab aliis caſibus Bullæ Cænæ occultis. Alii vero tenent, non poſſe, quia dicunt, talem facultatem eſſe ablatam a Pontificibus. Utraque ſententia non caret ſua probabilitate.

Verum ſecunda cenſetur probabilior, & tutior in praxi, attentis maxime declarationibus Sacræ Congregationis. Ab hæreſi tantum mentali, ſeu pure interna, nullo externo ſigno manifeſtata, poteſt abſolvere quilibet Confeſſarius.

Indoctis non licet diſputare de fide cum hæreticis, ob periculum deficiendi a fide.

Ca-

Catholicus, qui reperiatur in locis Hæreticorum, & ob periculum gravis alicujus damni ſibi imminentis non audet ſe manifeſtare Catholicum, poteſt in die prohibita manducare carnes, dummodo non cogatur eas manducare in odium, & contemptum Religionis. Ratio eſt, quia ſecluſo contemptu non ſemper tenetur manifeſtare, & profiteri ſuam fidem; & licet Hæretici per talem manducationem proteſtentur ſuam ſectam, hoc eſt per accidens. Neque enim Eccleſia cenſenda eſt velle obligare Catholicum cum tanto incommodo.

C A P U T XVI.

DE ABSOLUTIONE AB HÆRESI.

Circa abſolutionem ab Hæreſi poſſunt plures caſus dari. Primus caſus eſt, ſi hæreſis fuerit mere interna, & ab hac quilibet Sacerdos approbatus poteſt abſolvere. Secundus caſus, ſi fuerit ſolum externa, & non interna, ut ſi metu, vi, aut ſubita ira aliquid factum, vel dictum ſit contra fidem, & abſque errore intellectus, & etiam in hoc caſu quilibet Confeſſarius poteſt abſolvere. Tertius eſt, quando quis certo ſcit, lingua hæreſim pronuntiaſſe, ſed dubitat de mentis conſenſu circa ejuſdem errorem, in hoc caſu dico: (licet Tamburinus diſſentiat,) non poſſe abſolvi a ſimplici Confeſſario. Quartus eſt, quando fuit hæreſis externa, & interna, ſed ignorabat pœnitens hujuſmodi hæreſi injunctam eſſe excommunicationem reſervatam, & neque in hoc caſu abſolvi poteſt a ſimplici Confeſſario. Quintus eſt, ſi hæreticus externus, & internus ſit in articulo mortis, & tunc poteſt a quocumque Sacerdote abſolvi etiam non approbato ad Confeſ-

feſſiones, recepto tamen juramento de parendo mandatis Eccleſiæ, & hic adverto, idem eſſe articulum mortis, & probabile periculum mortis imminentis.

Si quis indiget abſolutione ab aliqua cenſura reſervata, & non poteſt Superiorem adire, ſecurius eſt, ſuppreſſo ſemper nomine pœnitentis, ad Sacram Pœnitentiariam recurſum habere.

CAPUT *XVII.*

DE JEJUNIO.

JEjunium aliud eſt naturale, quod conſiſtit in abſtinentia cujuſcunque cibi, & potus. Aliud Eccleſiaſticum, quod conſiſtit in unica comeſtione, & abſtinentia a carnibus, quamvis Eccleſia permittat brevem refectiunculam in Veſperis.

Frangens Jejunium in die, in quo concurrit duplex præceptum obligans; puta quia eſt tempus Quadrageſimale, & vigilia, v. g. S. Matthiæ, non committit duplex peccatum, ſed unum tantum, quia duplex tale præceptum cum ſit eodem motivo virtutis, & cadat ſupra eandem materiam, non multiplicat obligationem, ſed eandem firmat, ideoque &c. ſicut etiam in violatione feſti cadentis ſub duplici præcepto, quatenus v. gr. ſit Dies Dominica, & ſimul feſtum alicujus Apoſtoli, non committitur niſi unum peccatum ob eandem rationem.

Si quis autem frangeret jejunium, ad quod tenetur ex præcepto, & ex voto, tunc erit duplex peccatum, quia votum cum reſpiciat virtutem Religionis diverſam a virtute obedientiæ, inducit aliam, & diverſam obligationem,

nem, & ideo eſt duplex peccatum in hac hypotheſi, unum contra virtutem obedientiæ, violando præceptum, alterum contra virtutem Religionis, violando votum.

Qui non jejunat in Quadrageſima, obligatus, tot peccata committeret, quot diebus non jejunaret, quia jejunium eſt affixum cuilibet diei quadrageſimali, eo modo quo Divinum Officium eſt affixum cuilibet diei.

Qui in die Jejunii faceret plures comeſtiunculas, peccaret letaliter, quando perveniſſet ad illam parvam comeſtionem, quæ compleret materiam notabilem.

Utrum autem manducans carnes in die jejunii abſque neceſſitate, & non jejunans, pluries comedendo, committat duplex peccatum, unum manducando carnes, alterum non jejunando, ob duplicem obligationem, unam affirmativam de faciendo unicam comeſtionem, alteram negativam de non comedendo carnes.

Reſpondetur, non committi duplex, ſed unum tantum peccatum, quia cum abſtinentia a carnibus ſpectet ad eſſentiam jejunii, eo ſemel fracto per comeſtionem carnium, amplius quis non peccat non jejunando, quia per comeſtionem carnium Jejunium ſubſiſtere amplius non poteſt.

Dices: qui in die Feſto omittit ſacrum, & facit opus ſervile, committit duplex peccatum, ergo etiam qui in die jejunii non jejunat, & comedit carnes, duplex peccatum committit. Probo conſequentiam: ideo primum, quia peccat contra duplicem obligationem, ſed etiam in jejunio adeſt duplex obligatio, ergo &c.

Sed contra, Conc. antec. nego conſequentiam, ad cujus probationem diſtinguo majorem, quia facit contra duplicem obligatio-

nem,

nem, quarum una eſt ſeparabilis ab alia, concedo; inſeparabilis, nego majorem, & diſtinguo minorem: ſed etiam in jejunio adeſt duplex obligatio, ſed inſeparabilis una ab alia, concedo, ſeparabilis nego min., & conſequentiam. Ideo in die feſto committitur duplex peccatum, omittendo ſacrum, & faciendo opus ſervile, quia bene adhuc ſubſiſtit obligatio audiendi ſacrum, etiam ſi fiat opus ſervile, ideoque ſeparari poteſt una obligatio ab alia. At in jejunio cum ad ipſius intentionem pertineat abſtinentia a carnibus, & haberi non poſſit jejunium, quin etiam abſtineatur a carnibus, ideo non committitur niſi unum peccatum, quia una obligatio ſeparari non poteſt ab alia, ſecus teneretur adhuc ad jejunandum qui ex diſpenſatione carnes comederet in Quadrageſima, quod non, ut patet ex communi praxi.

Ob debilitatem capitis, vel ſtomachi poteſt quis ſumere aliquid per modum medicinæ.

Cocus poteſt prægustare cibos ſine fractione jejunii, quia eſt ex cauſa neceſſitatis, & ex ratione parvitatis materiæ.

Prandium in die jejunii poteſt interrumpi ex juſta cauſa, dummodo interruptio ſit ad breve tempus, nempe quod non excedat mediam horam, quia redeundo ad prandium cenſetur adhuc moraliter idem prandium continuatum.

Qui in die jejunii in prandio nimium manducaret, non frangeret jejunium contra præceptum, peccaret tamen contra temperantiam pro modo quantitatis excedentis.

Si quis in die jejunii pluries comederet carnes, alioſque cibos vetitos, tot peccata committeret, quot hujuſmodi manducationes haberet, quia toties faceret contra præceptum negativum, quod obligat ad ſemper, & pro ſemper tali die.

Ad jejunium non tenentur primo infirmi, aliique, qui jejunando incurrerent notabilem incommoditatem, ut ſunt fluxiones, emicrania, deliquia, impotentia dormiendi, & ſimilia; unde ſi quis dubitet, an ne habeat ſufficientem cauſam, tenetur adire Parochum, qui in dubio habet poteſtatem diſpenſandi.

Secundo non tenentur qui iter pedeſtre laborioſum conficiunt: tertio pauperes, qui non habent modum faciendi unam bonam comeſtionem, ut jejunii moleſtias ſuſtinere poſſint: quarto prægnantes, & nutrientes: quinto ii omnes, qui opera ſervilia faciunt valde laborioſa, & incompatibilia cum jejunio.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

29. In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

31. Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima, obliget.

Ab INNOCENTIO XI. 8. Comedere, & bi-

bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

C A P U T XVIII.

DE OBLIGATIONE RECITANDI HORAS CANONICAS, SEU DIVINUM OFFICIUM.

Divinum Officium eſt laus Dei, voce expreſſa, determinata per inſtitutionem Eccleſiæ.

Dividitur in ſeptem horasCanonicas videlicet,Matutinumcum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium, quæ horæ ſignificant principaliter myſteria Paſſionis Chriſti.

Qui omitteret plures horas ſine cauſa, non committeret plura peccata, quia præceptum recitandi ſeptem horas Canonicas unum eſt, habens pro objecto integrum Officium ex aggregato ſeptem horarum conſtitutum.

Quantitas notabilis, ex cujus omiſſione voluntaria quis mortaliter peccat, ea eſt, ex cujus defectu moraliter cenſetur non ſalvari eſſentia totius officii: non notabilis autem ſeu parva erit illa, cujus defectu adhuc moraliter ſalvatur eſſentia totius officii, licet non ſalvetur ejus materialis integritas. Quia tamen hæc eſſentia menſuratur a prudenti judicio, ideo quot capita, tot ſententiæ.

Dicerem ergo, quantitatem notabilem eſſe integrum Pſalmum, ſi ſit longus, aut tres lectiones cum ſuis Reſponſoriis, quia defectu hujus quantitatis videtur non ſalvari moraliter eſſentia totius officii.

Si quis in ſingulis horis modicum quid voluntarie omitteret, quod ſimul ſumptum integraret quantitatem notabilem, peccaret mortaliter, quia ex talibus omiſſionibus deficeret pars notabilis reſpectu totius officii.

Quoties voluntarie omittitur recitatio Divini Officii, toties committitur peccatum mortale. Unde audiendi non ſunt, qui dicunt, omittentem ter, vel quater in anno Divinum Officium non peccare mortaliter; eo quod cenſent, fore id reputandum pro parvitate materiæ reſpectu totius anni: audiendi, inquam, non ſunt, quia recitatio Divini Officii eſt onus diei, & penſum quotidianum.

Obligatus ad recitandum Divinum Officium, non tenetur ſub eadem obligatione recitare Pſalmos Graduales, & Pœnitentiales, quando notantur in Rubrica Breviarii, quia iſtæ ſunt obligationes Chori, non perſonæ, unde Choro addictus, ſi tunc non adſit, non tenetur privatim eos recitare ſub letali.

Non eſt tamen hoc idem ſentiendum de Litaniis reſpectu eorum, qui non interſunt Proceſſioni Divi Marci, & Rogationum, & de Officio integro Defunctorum in die Commemorationis eorundem: hæc enim quilibet obligatus ad Divinum Officium, tenetur vel publice, vel privatim recitare, quia ſunt pars obligationis illius diei, eo quod in Rubrica talium dierum obligatio eſt expreſſa verbis præceptivis, non hortativis, ac proinde &c.

Servandus eſt ordo ab Eccleſia conſtitutus in recitando Divino Officio, adeo ut invertens ordinem Divini Officii abſque cauſa, peccat letaliter, quia facit contra Ritum Eccleſiæ in re gravi; ſecus autem ſi ex cauſa &c.

Item ſervanda eſt qualitas Officii, unde unuſquiſque tenetur recitare Officinm ſecun-

dum

dum proprium Ritum, ſic Romanus ſervare debet Ritum Romanum, Ambroſianus Ambroſianum, & ſic de reliquis.

Si quis ex inadvertentia, & bona fide recitaret unum officium pro alio, non peccaret, & ſatisfaceret obligationi: ſi cum malitia, tunc peccaret, nec ſatisfaceret, quia id faceret in fraudem officii contra Ritum Eccleſiæ præſcriptum.

Ad recitationem officii requiritur intentio, ita ut ſufficiat implicita; item attentio talis, ut quis non ſit voluntarie diſtractus ad aliena.

Recitans Officium privatim, ut ſatisfaciat obligationi, debet integre pronuntiare quantum poteſt, ita ut ſeipſum quodammodo audiat, quamvis Aliqui dicant, ſufficere movere labia, quod tamen ego non admitto.

Obligati ad recitationem Divini Officii ſunt omnes initiati Ordinibus Sacris, Beneficiati, & Religioſi Profeſſi, & inſuper Moniales Profeſſæ juxta conſuetudinem propriæ Religionis; & hæc obligatio incipit a die ſuſceptionis Ordinis Subdiaconatus, Profeſſionis emiſſæ, quo ad eas horas quæ ſubſequuntur juxta temporis diſtributionem.

Ubi adverto, quod Beneficiatus non tenetur ad Officium recitandum, ſi poſſeſſio Beneficii fuerit ipſi impedita, quia ſicut non poteſt exercere Jura Beneficii, ita nec tenetur ad onera Beneficii.

Noto inſuper, quod obligatus ad Officium tum ratione Ordinis, tum ratione Beneficii, ſi illud omittat, duplex committit peccatum, quia facit & contra virtutem Religionis, & contra juſtitiam, Officium omittendo, & tenetur ad reſtitutionem fructuum Beneficii ad

ratam omiſſionis in materia gravi, prout jura loquuntur.

Qui habet tenue beneficium cum obligatione recitandi officium, adhuc tenetur recitare, quia volenti, & conſentienti nulla fit injuria. Unde non approbo ſententiam Aliquorum, qui dicunt, non teneri, quia non confertur Beneficium, niſi cum onere Officii, adeoque ſi ſubit onus, tenetur illud adimplere.

Materia gravis in omiſſione Officii obligans Beneficiatum ad reſtitutionem, prout jura loquuntur, eſt integra hora, non autem pars horæ, neque verſiculi, neque reſponſoria, itaut ſi omitteret unum Pſalmum, vel partem horæ, vel verſiculos omnes, ſeu reſponſoria, peccaret quidem graviter, non tamen teneretur ad reſtitutionem. Subintellige, quantum ad peccatum de Beneficiato, qui ſimul eſſet ordinatus in Sacris.

Qui ſunt Choro addicti, ſi voluntarie vacent a Choro ultra tempus a Concilio permiſſum, peccant mortaliter; Bonacina excuſat abſentiam trium, vel quatuor dierum in toto anno ultra permiſſum, quod intelligendum eſt, etiam ſi diſtributiones reſtituantur, hæc enim eſt pœna, quæ non excuſat a culpa.

Epiſcopus per ſe tenetur ad Chorum in ſua Cathedrali, excuſatur tamen, ſi non interſit, ratione impedimentorum, quæ de facili ei occurrere poſſunt.

Eximuntur ab obligatione Officii omnes illi, qui ſunt phyſice, aut moraliter impotentes; etenim præceptum Eccleſiæ non obligat niſi potentes, neque cum gravi incommodo: ſic infirmus non tenetur, neque ille, qui abſque ſua malitia Breviarium non habet, tenetur tamen recitare ea, quæ ſcit memoriter, quod idem ſentiendum de cæco: item qui

non

non poſſet ob aliquod impedimentum recitare integrum officium, teneretur recitare partem, quam poteſt.

Superior Regularis ex privilegio poteſt diſpenſare ex cauſa rationabili ſuos ſubditos a recitatione Officii, commutando illud in aliquos Pſalmos, ſive preces.

Damanatus ad Triremes non eximitur ab obligatione Officii, niſi iis diebus, in quibus ſummopere laborat; nam privatur quidem iis, quæ ſunt honoris, non autem iis, quæ ſunt oneris.

Qui laborat febri quartana, tenetur recitare Officium, excepto die febris, nec tenetur anticipare, quia anticipatio eſt ex privilegio, quo quis poteſt ad arbitrium uti.

Qui proponit in animo omiſſionem Divini Officii, peccat, & quamvis poſtmodum recitet, adhuc peccavit in corde ſuo, licet actum internum peccaminoſum non compleverit opere omiſſionis externo, ſeu peccatum externum omiſſionis. Et toties peccat, quoties renovat malum propoſitum non recitandi Officium; quod univerſaliter valet de quacunque mala intentione non adimplendi aliquod præceptum.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 20. Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi

ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque Eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

Ab INNOCENTIO XI. 54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM.

PARS TERTIA.

CAPUT I.

DE SANCTIFICATIONE DIEI FESTI.

SAnctificatio diei Feſti, eſt cultus exterior, præſtitus Deo, conſtitutus in abſtinentia ob operibus ſervilibus, & in exercitio operum ſanctorum, præſertim in auditione ſacri.

Datur præceptum ſanctificandi diem feſtum, & hoc præceptum inducit duplicem obligationem, unam poſitivam audiendi ſacrum, alteram negativam, non faciendi opus ſervile.

Opus ſervile, quod dicitur mechanicum, eſt illud, quod eſt proprium ſervorum, & artificum, ſeu eſt illud, quod ad faciendum proprie deputantur ſervi, & artifices, & licet aliquando fiat per Dominos, hoc eſt per accidens, quod non tollit, quin ex ſe ſit opus ſervile, ac mechanicum.

Ad opus ſervile & mechanicum duo præſertim requiruntur, primo, quod fiat per corpus tanquam ad finem: v. g. colere agrum, ædificare, conficere veſtes; & quidquid efficitur per artes mechanicas. Non tamen con-

ficere ſcripturas, etiam ſi fiant intentione lucri, quia intentio lucrandi non facit opus ſervile id, quod non eſt ex ſe tale, ſecus poſſet quis in die feſto abſque lucro, & mercede conficere veſtes licite, quod eſt falſum; ſcriptura namque eſt opus liberale, non mechanicum, & quod tendit ad exercitium mentis, non ad commoditatem corporis.

Piſcari, venari, digladiari, aliaque hujuſmodi opera, non cenſentur opera de ſe ſervilia, cum de ſe non fiant potius per ſervos, quam per Dominos, neque tendant ad commoditatem corporis per ſe, ſed ad recreationem animi.

Materia gravis in opere ſervili prohibito in die feſto eſt labor ad horam, licet non deſint, qui eam extendunt uſque ad duas.

Laborare in die feſto pluribus vicibus interpolatis, parum pro ſingula vice, eſt peccatum grave, quia plura illa modica coaleſcunt in quantitatem notabilem conſtitutivam materiæ peccati gravis, ſicut plura furtula, plures comeſtiunculæ in die Jejunii.

Pingere in die feſto juxta ſententiam probabilem eſt peccatum, quia enumeratur inter artes mechanicas: non vero eſt peccatum, ſi inter liberales recenſeatur juxta aliorum ſententiam.

Eſt prohibitum in die feſto judicium publicum, ſeu ſtrepitus fori, ſcilicet omne judicium, ſive civile, ſeu criminale in die feſto eſt illicitum; & invalidum, niſi adſit cauſa, vel neceſſitatis, vel pietatis. Quia divertit ab operibus ſanctis; ſeu a divino cultu, item eſt prohibitus omnis contractus; qui ſolet juramento firmari: opera illa ſerviliaquæ, ſunt neceſſaria ad humanum victum, non ſunt prohibita.

Locorum Ordinarii, ideſt Epiſcopi poſſunt diſpenſare ab operibus ſervilibus in die feſto cauſa neceſſitatis: Non tamen Parochi, niſi ratione difficilis acceſſus ad Epiſcopum, quia ad eum ſpectat propria auctoritate diſpenſare, ad quem ſpectat inſtituere, atqui Parochi non eſt inſtituere diem feſtum, ergo ad ipſum non ſpectat diſpenſare niſi per accidens, & ratione difficilis acceſſus ad Epiſcopum.

Qui duas partes Miſſæ audiret a pluribus Sacerdotibus, non ſatisfaceret præcepto, eo quia audiret quidem integram Miſſam materialiter, non autem formaliter, cum integritas formalis Miſſæ deſumatur ab uno eodemque Sacerdote, & non a pluribus.

Omnes perventi ad uſum rationis tenentur ex præcepto audire ſacrum in die feſto.

Attentio audiendi ſacrum debet eſſe ſaltem implicita. Attentio autem debet eſſe talis, ut quis non ſit voluntarie diſtractus ad aliena; quod idem valet, quo ad divinum officium.

Non eſt neceſſe, quod quis audiat vocem Sacerdotis celebrantis, neque quod illum videat, ſed ſufficit, quod ita aſſiſtat ſacrificio, ut cenſeatur illi moraliter præſens.

Qui ex devotione audit in die feſto unam miſſam, cum intentione audiendi aliam ex præcepto, ſi hanc aliam non audiat, adhuc ſatisfacit præcepto, quia licet in prima non habeat intentionem explicitam ſatisfaciendi, habet tamen implicitam, quæ ſufficit.

Excuſatur ab auditione ſacri impotens phyſice adire Eccleſiam, puta, ſi eſt ægrotus, ſi clauſus domi; & etiam impotens moraliter, quando ſcilicet neceſſitas, vel charitas, vel juſtitiam eum detinet domi, vel ſi eſt excommunicatus, aut interdictus.

Qui in die feſto omittit ſacrum, & facit o-

pus ſervile, committit duplex peccatum, unum omiſſionis contra præceptum affirmativum audiendi ſacrum, alterum commiſſionis contra præceptum negativum de non faciendo opere ſervili in die feſto.

Nota, quod toties quis peccat, quoties quis laborat in die feſto, quia præceptum negativum obligat pro ſemper, & ad ſemper.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 52. Præceptum ſervandi Feſtum non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

Ex eodem 53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro qui duas ejus partes, immo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit.

CAPUT II.

DE ELEEMOSINA.

ADeſt præceptum dandi Eleemoſynas pauperibus, & hoc eſt præceptum Divinum, Naturale, & Eccleſiaſticum. Divinum, ex meo Apoſtolo ad Timotheum epiſt. 1. *divitibus hujus ſæculi præcipe facile tribuere*, & Eccleſ. cap. 4. *Fili eleemoſynam pauperi ne defraudes*, *&* *oculos tuos ne tranſvertas a paupere*. Eſt præceptum Naturale, quia cum eleemoſyna ſit actus charitatis, & hæc charitas ſit nobis indita ab ipſa humanitate, ſeu lege naturali, quæ dictat homini hominem juvare, ac bene facere, ſequitur Eleemoſynam eſſe juris naturalis.

Hoc præceptum eſt affirmativum, & obligat

gat tam fideles, quam infideles, ſicuti præceptum honorandi parentes.

Quo ad neceſſitatem proximi, propter quam tenetur quis Eleemoſynam erogare, dico triplicem eſſe, alia eſt extrema, alia gravis, alia communis: Extrema ea eſt; per quam aut proximo periculum vitæ imminet, aut gravitas, & diuturnitas alicujus morbi. Gravis eſt illa, per quam imminet proximo periculum gravis mali v. g gravis nota infamiæ, carceris, jactura bonorum, ſtatus, & alicujus officii, ex quibus fit, ut cum difficultate talis proximus, & ſecundum ſuum ſtatum valeat vivere, & ſubſtentari v. g. ſi aliquis Nobilis cogatur propter miſeriam mechanicas artes exercere, & famulari. Communis neceſſitas eſt illa, quæ in publicis pauperibus videtur, & invenitur.

Si mihi quæratur quid, & quotuplex ſit bonorum ſuperfluum, ratione cujus tenemur eleemoſynas facere, opemque miſeris præſtare; reſpondeo, quod ſuperfluum dicitur illud quod alicui ſupereſt de propriis bonis, & temporalibus ſubſtantiis. Secundo ſuperfluum aliud eſt ſtatui, aliud eſt ſuperfluum naturæ. Superfluum ſtatui, eſt id, ut dicebam ſuperius, quod ſupereſt, iis demptis, quæ ſunt neceſſaria, non ſolum ad vivendum, ſed etiam ad decentiam perſonæ, domus, ſervitutis, & veſtimentorum, juxta cujuſque conditionem, & proprietatem, uſum, & morem ſuæ Patriæ. Superfluum naturæ dicitur illud, quod ſupereſt, iis demptis, quæ ſunt neceſſaria ad vitam propriam, & ad ſuam familiam, videlicet uxorem, filios, famulos, & famulas ſubſtentandas.

Tenentur ad eleemoſynam faciendam omnes, qui habent ſuperflua, & inter li. *Omnes*

ve-

veniunt principaliter magis perſonæ publicæ, quam privatæ, magis Eccleſiaſtici, quam ſæculares, & inter primos magis qui gaudent bonis, & beneficiis Eccleſiæ, & inter iſtos, qui præſunt: intellige, qui præſunt, & habent juriſdictionem, curamve animarum, & magis iſti, quam ſimplices beneficiati, & Clerici.

Ordo faciendi eleemoſynam debet eſſe proportionatus pauperum indigentiis, quare primo, ſunt ſubveniendi in extrema paupertate conſtituti: ſecundo, graviter indigentes: tertio, communiter pauperes, cæteriſque paribus prius proximiores ſanguinis, ſecundo affines, tertio reliqui omnes; inter quos adverto quod Eccleſiaſticus debet præferri ſæculari: ſi indigens adſit pubblica perſona, & valde utilis Reipublicæ, debet omnibus aliis præferri.

Non tenetur de ſuis ſuperfluis pauperes adinvenire, quibus ſubveniat, niſi forte ſit perſona publica v. g. Paſtor animarum, Epiſcopus, Princeps, qui ex officio dicitur Pater pauperum.

Quæres 1. an ſatisfaciat præcepto eleemoſynæ, qui poſſidens ſtatui ſuperflua, ſuccurrat aliquem recurrentem in ſua extrema neceſſitate, illumque obliget ad reſtitutionem, quando dives evenerit, & in meliori fortuna.

Reſp. Negative, nam ſi ſufficeret mutuare cum obligatione ad reſtitutionem, quando in extrema paupertate conſtitutus dives venerit, nullum adeſſet præceptum erogandi eleemoſynam; hæc enim dicit donationem liberam, non vero mutuationem, ut bene aſſerit doctiſſimus meus Rotarius cum Alario, & aliis quampluribus Doctoribus. Igitur habens multa ſuperflua ſuæ conditioni, non ſolum tenetur eleemoſynam dare, & auxilium in extre-

ma neceſſitate conſtitutis maxime ipſi recurrentibus, ſed etiam habens ſuperflua naturæ, quamvis iſta ſint ſuæ conditioni neceſſaria: In gravi neceſſitate unuſquiſque obligatur ſubvenire proximo cum modico detrimento ſui ſtatus, ſeu conditionis, quia cum parvo ſuo incommodo tenetur ex charitate maximum, & grave incommodum proximi impedire: nemo tamen, ut bene advertit Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* 33. tenetur pro vita pauperum totum ſuum ſtatum exponere. In neceſſitate tandem ordinaria habens ſuperflua ſtatui, tenetur aliquid eleemoſynæ dare pauperibus, ne ordinaria neceſſitas tranſeat in gravem, & gravis in extremam.

Quæres 2. an Uxores inſcio marito poſſint facere eleemoſynam.

Cum Eminentiſſimo, & Doctiſſimo Patre Toleto Soc. Jeſu Hiſpano noſtro Reſpondeo affirmative in his caſibus: primo, cum ſciaut uxores rem gratam facere maritis, ipſiſque placere quod piæ, & Eleemoſynariæ ſint: ſecundo, ſi maritus ſemidementia, aut tota captus extaret, vel longe eſſet ab ipſa extra Regionem, & ipſa adeſſet; bona domus, & Conjugis adminiſtrans. Tertio, quando de aſſignatis ſibi, vel annuatim, vel menſuatim expenſis, uti mos eſt in nobilibus Conjugibus, & de talibus ſummis ſibi ſubtrahunt uxores aliquid pro Eleemoſynis faciendis. Quarto, quando maritus ita durus eſt in pauperes propter avaritiam, & nimiam congregandi cupiditatem, & non vult tradere quam tenetur eleemoſynam. Tunc laudatur uxoris charitas: (Quia manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes.) *Sap.* 80. Quinto ſi habet bona ex ſe præter ſuam dotem, & habeat aliquod lucrum, maxime ſi ſecuta eſt exemplum Mulieris for-

tis

tis tam a Spiritu Sancto commendatæ: (Quæ quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, & panem otioſa non comedit), ut melius me explicem, poſſunt uxores facere Eleemoſinam de aliquo lucro proprio, quod non cedat in utilitatem mariti juxta ſtylum Regionis, v. g. ex labore ſerico, ex elaborato lino, ex intexendo, & aliis propriis mulierum ſtudiis domeſticis, & induſtriis &c. Ad ultimum poſſunt uxores etiam facere eleemoſynam ex turpi lucro proveniente ex adulterio, hoc enim eſt facere ſibi, (ut dicit Evangelium) *Amicos ex mammona iniquitatis*.

Quæres tertio: An Famuli, & Famulæ poſſint facere eleemoſynam.

Reſpondeo cum diſtinctione: de propriis a Dominis ipſis conceſſis pro eorum ſalario, alimento, & uſu ſecundum conſuetudinem locorum, & ſecundum conditionem Dominorum poſſunt facere eleemoſynam propter amorem Dei: de bonis autem, & rebus eorum, quibus famulantur, non poſſint, niſi forte, quod a famulo & famula datur, ſit adeo tenue, puta fruſtum panis, aut poculum vini, ut a Dominis non curetur; eſt caſus autem, quo hujuſmodi perſonæ ſervientes poſſint ſufficientem eleemoſynam facere, etiam ſine licentia de bonis eorum Dominorum, ſi ſit alicujus pauperis extrema neceſſitas: ſicuti enim pauperes licite conſtituti in extrema neceſſitate ſubripiunt, ita ipſi famuli, & famulæ licite dant. Adverto tamen, quod in gravi neceſſitate tenentur omnino petere licentiam. Non eadem eſt ratio Curatorum, & Tutorum, & qui habent curam aliorum bonorum, quia poſſunt iſti in diſcreta quantitate erogare eleemoſynas, quales facere tenerentur Principales.

Pla-

Placet mihi concludere hoc caput,exponendo effectus eleemoſynæ, ut quiſquis legit, magis accendatur ad erogandas eleemoſynas, & ſibi acquirat illam felicitatem, quam Regius Pſaltes eleemoſynariis omnibus vaticinatur: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Pſ.* 40. Effectus igitur eleemoſynæ multiplex eſt. Et primo, impetrare peccatorum veniam præteritorum. Secundo, purgare peccata præſentia. Tertio, ſervare ab æterna damnatione (eleemoſyna enim ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur, animas ire in tenebras) *Tob* 4. Quarto, mitigare ardorem fomitis: (Ignem enim ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.) *Eccl.*3. Quinto, reficere animam: Sexto, conſervare gratiam: (Eleemoſyna enim viri, quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis, quaſi pupillam conſervabit.) *Eccleſ.* 17. Septimo impugnare Diabolum. *Eccleſ.*29. Octavo, expiare pœnas peccatorum. (Peccata tua eleemoſynis redime.) *Dan.*4. *& Luc.*2. (Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.) Nono, multiplicare interceſſores apud Deum, & homines: (Circumſteterunt eum Viduæ flentes, & oſtendentes tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.) *Actor.*9. Decimo, prorogare vitam præſentem. Undecimo, mereri æternam. Pietas enim ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, P. meus ad *Timot.*1.4. Duodecimo, mitigare inimicos: (Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.) ad *Rom.* 12.

Poteſt quæri ab aliquibus, an ſola eleemoſyna tanquam actus virtutis moralis ſit ſufficiens ad juſtificandum impium? Et reſpondeo non eſſe attendendum hæreticorum errori, quem

qurm conantur propugnare ex aliquibus locis Sacræ Scripturæ ſuperius a me expoſitis non plene intellectis, & turpiter, ut mos eſt illorum, extortis. Dico igitur eſſe de fide eleemoſynam, ut exercitium moralis virtutis, non juſtificare hominem, quia habemus ex Apoſtolo meo: 1. *Corinth.* 13. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil prodeſt*. Poteſt etiam probari ratione; nam actus eleemoſynæ poteſt componi cum affectu actuali ad aliquod peccatum mortale, proinde eleemoſyna non eſt ſufficiens ad juſtificandum impium. Immo nec per modum impetrationis infallibilis habet eleemoſyna juſtificare impium, nam videtur opponi ſententiæ ſuper allatæ mei Apoſtoli. Debet tamen concedi quædam ſpecialis vis eleemoſynæ ad obtinenda auxilia congrua ad remiſſionem peccatorum, quæ non tribuitur aliis piis operibus, aliter quomodo ſalvarentur tot ſuper allatæ Scripturæ.

Propoſitiones damnatæ ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 12. Vix in ſæcularibus invenies etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

CAPUT III.

DE DUELLO.

DUellum, quod etiam vocatur a Moraliſtis Monomachia, eſt pugna, ſeu bellum factum inrer duos ad aliquam rem probandam: me-

melius dicam, eſt conventio duorum certantium, aut plurium, cum periculo mortis, aut gravis vulnerationis ex fine illicito. Differt a rixa, quia hæc oritur ex ſubito, & improviſo caſu, Duellum autem ex conventione aſſumpta: differt quoque a bello, quod inter duos non fit, aut plures perſonas privatas, ſed inter multitudinem hominum publicam poteſtatem repræſentantium.

Duellum eſt peccatum mortale, & prohibitum eſt ſub quibuſdam pœnis, ex Concilio Tridentino, & ex Bullis PII V. GREGORII XIII. & CLEMENTIS VIII. His pœnis, præcipue excommunicationis majoris afficiuntur non ſolum Duellantes, & Provocantes ad Duellum, ſed etiam Superiores Temporales concedentes locum ad patrandum Duellum, Patrini, conſulentes, ſuadentes, ſpectantes, & hic adverto nomine ſpectantium non venire illos, qui fortuito tranſeuntes per locum, ubi duellatur, illud vident, ſed venire illos, qui acceſſerunt conſulto tanquam ſocii, & comites Duellantium, & qui ex profeſſo veniunt ſpectaturi etiam ex ſola curioſitate, etiam ſine animo adjuvandi, aut ſuper hoc aliquod conſulendi.

Excommunicatio lata contra Duellantes, ex vi Concilii nulli eſt reſervata, tantum Papæ, nec poteſt etiam tolli ab habentibus caſus Papales extra Urbem, uti habetur ex decretis Summorum Pontificium, ut ex GREGORIO XIII. Et in Cenſuram Excommunic. majoris incidunt, primo Duellantes etiam privatim, & ſine Patrinis, ſecundo Principes, omneſque Superiores permittentes, & non prohibentes Duella, faventes, & non punientes fautores, adhærentes, portantes Cartas Duelli, vulgo viglietti, ſubſcribentes, affigentes, publican-

tes,

tes, dictantes, componentes, mittentes, deferentes, vel imprimentes, vel etiam ſolo verbo denuntiantes, conſilium dantes, & favorem: inſuper incidunt in Excommunicationem etiam illi, qui ad deſtinatum locum Duelli, impediti Duellum non fecerunt, ſi tamen per ipſos non ſtetit quin ſequeretur.

Conditiones Duelli, ut proprie tale dicatur, ſunt iſtæ duæ, quæ copulative requiruntur, videlicet; Aſſignatio loci, & temporis, neque una ſine altera ſufficit, proinde non incidunt in cenſuras latas contra Duellantes, qui ad iracundiam ſimul provocati ſe invitant ad pugnam, ſtatimque ad aliquem locum petunt, ubi ſequitur pugna; hæc enim potius mihi videtur, & per omnes Moraliſtas rixa, quam pugna, ſeu Duellum, ſecus vero eſt dicendum, ſi animo deliberato ſtatuant locum, & tempus decertandi, licet parva mora intercedat inter Rixam, & Duellum, ut bene aſſerit Reverendiſſimus P.D. Thomas Franciſcus Rotarius Exgeneralis meæ Congregationis in ſuo doctiſſimo Apparatu Univerſæ Theologiæ Moralis. Non incidunt etiam milites in Caſtris frequentes ad rixas, & invicem pugnantes, vel alii ob privatas inimicitias, ad Duellandum ſe invitantes in quocumque loco reperiuntur, neque obviam ſe habentes, qui provocaverunt ſe ad talem locum, quia in his caſibus ſubitis, vel una deficiet conditio, vel ambo ex ſupradictis.

Poteſt quis quandoque excuſari ab acceptatione Duelli, adeoque non incurrere in pœnas ſupra recenſitas, primo: ſi quis alias te occiſurus ita ut ab ejus manibus nullatenus poſſis aufugere, concedat electionem Duelli, ut fortuna (ſicuti ſolet dici) fortunam tentes, in hoc caſu Duellare eſt ſe defendere, modo ſibi poſſibili, quod eſt ex jure naturæ. Secundo, ſi Judex im-

imperaret duos condemnatos ad mortem ob eorum delicta, ut Duello ſortem alterius experirentur, tunc a publica poteſtate, ut notant aliqui, alter alterius eſſet miniſter Juſtitiæ.

Non poteſt acceptari generaliter Duellum ad evitandam ignominiam, quia nedum eſt prohibitum a Deo, ab Hominibus, ab Eccleſia, ſed eſt malum ex ſuo genere perniciofum, & mirandum eſt, quod credatur ab aliquibus inſipientibus ignominia obtemperare legibus Divinis, Humanis, & Eccleſiaſticis prohibentibus Duellum, tot Excommunicationibus damnatum.

Propoſitio damnata ad hoc Caput reducenda.

Ab ALEXANDRO VII. 2. Vir equeſtris ad Duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

CAPUT IV.

DE LUDO.

Ludus eſt quidam contractus inter duos, vel plures qui importat tribui vincenti, vel vincentibus id, quod depoſitum eſt in tabula ad hunc finem.

Triplex eſt Ludus, alius in quo maxime dominatur caſus ſeu fortuna, alius in quo maxime dominatur Ars, aut induſtria, ingenium, & robur, alius denique mixtus eſt. Ludus per ſe præciſe eſt quid indifferens, & quamvis ſi fieret pręcipue ex fine lucrandi, per ſe non eſſet letale. Primi generis Ludi, quamvis Jure civili prohibeantur, hæc tamen prohibitio non obligat ex ſe præciſe ſub letali. Jurę

ca-

canonico ſunt etiam prohibiti tales Ludi Clericis, ſed quia hujuſmodi leges non ſunt in rigore, & uſu receptæ, ideo excuſantur Clerici a letali, ex vi preciſa legum, niſi daretur aliquis ita continuus Aleator, & publicus, qui ſcandalum præberet, qua in re ſtandum eſt regionum conſuetudini, quare Ludus poteſt eſſe licitus, ſi fiat ex aliqua cauſa honeſta, atque cum debitis requiſitis.

Ea omnia, quæ per Ludum acquiruntur, reſtitutioni non ſubjacent, per ſe loquendo, niſi quis per fraudem viciſſet decipiendo ſocium ludentem, aut colludentes contra legem Ludi, qui ut ſuperius dixi in definitione eſt ſpecies contractus incerti lucri: ſimiliter, ſi quis lucretur pecuniam, vel alia bona, quæ non ſunt ſub poteſtate perditoris v. gr. ſi eſſet Religioſus, Filius familias, vel famulus, & luderet de bonis non ſuis, in tali caſu teneretur ad reſtitutionem: ad eandem teneretur cogens alium ludere per vim, & metum. Ad ultimum ſi fingeret ſe habere pecuniam ad ludendum, & de facto non haberet, in his caſibus, cum clara intercedat injuſtitia, reſtitutio eſt facienda.

Poſſunt etiam dari aliqui caſus, in quibus adeſſe poteſt peccatum ludendo, non tamen reſtituendi obligatio, & ſecundum materiam gravem, aut minus gravem erit etiam peccatum v.g. ſi quis ſoleat Ludens blasphemare, aut rixare, ſi fiat cum notabili detrimento familiæ, ſi impediat alia opera neceſſaria ex præcepto, ſi cum ſcandalo audientium, & videntium, ſi cum notabili detrimento ejus, cum quo ludit ratione paupertatis, aut familiæ, per quæ redigitur ad magnam neceſſitatem; tum quia frequentiſſimus Ludus alearum ſolet hæc mala producere; ideo exhibere domos, vel commoda ad ludendum, pararaſque menſas,

ſas, quis non dicat in grave peccatum incidere? Et difficile eſt ſe juſtificare apud pios, & doctos, maxime ſi hæc loca communia, & publica reddantur.

Non eſt licitum ludere cum imperitiore, ita ut moraliter peritior ſit certus de victoria, & tenetur reſtituere, niſi aliunde ſuppleatur imperitia.

Adeſt ludus, qui vulgo dicitur *ſcommeſſa*, & hic ut ſit licitus ſortes ludentium debent eſſe æquales, & æqualia pericula, aliter ſi quis rem futuram, vel præteritam certo ſciat, non poteſt ſuper illius veritatem ludere, & ſi vincat obligatur ad reſtituendum, quando tamen non admonuiſſet colludentem, qui obſtinatus adhuc perſiſteret in ludo, ſeu, ut dixi, *ſcomeſſa*.

Videns a tergo ludentium qualitatem alearum alterius ſocii, & indicans eadem, peccat graviter & obligatur inſolidum ad reſtitutionem cum vincente.

CAPUT V.

DE BELLO.

BEllum definitur diſcordia inter Reges, ſeu Principes, ſive inter liberas gentes, & Populos, ſibi arma invicem inferentes. Differt Bellum a Prælio, a Pugna, & a certamine, quia hæc dicuntur, quoties fit conflictus: Bellum vero eſt totum illud tempus, quo durat diſcordia inter Principes, & Reges.

Bellum duplex eſt: aliud defenſivum, aliud offenſivum. Defenſivum, quo quis armis, aliiſque martialibus inſtrumentis vim ſibi injuſte illatam armis repellit. Offenſivum eſt, quo quis videlicet, vel Princeps, vel Reſpublica juſtis de cauſis vim alteri infert, ſeu inimicos

ſuos

ſuos aggreditur, quod quidem licitum eſt Principibus, ut docet S. Auguſtinus *lib.* 2. contra Manicheos, qui contrarium aſſerebant.

Tres ſunt conditiones ad Bellum juſtum requiſitæ. Prima eſt legitima authoritas, quæ tantum in Principe reſidet, aut in Republica nullum alium Superiorem recognoſcentibus, nam ſi Princeps, aut Reſpublica alium recognoſcerent, ad ipſum deberent ambo recurrere, ut ipſis jus faceret Superior. Secunda conditio Belli, eſt juſta cauſa, ſeu juſtus bellandi titulus; Hæc autem generaliter loquendo eſt injuria illata Principi, vel Reipublicæ, quæ debet eſſe gravis, ut tanta pœna puniatur, vel ut Regnum recuperetur, vel ut reprimantur ſubditi rebelles, & ſimilia; Hæc autem juſta cauſa neceſſe eſt, quod ſit Principi moraliter certa, & explorata per viros doctos, & Theologos motiva Principis, aut Reipublicæ Bellum aggredientium approbantes. Requiritur denique, ut careat omni dubietate. Tertia conditio eſt recta intentio bellantium, ſcilicet amor boni communis, non ex odio privato, pacis obtinendæ ſtudio, ad bonorum ſublevamen, & ad malorum frenum ſit bellum ſuſceptum. Deficientibus duabus primis conditionibus Bellum eſt injuſtum, & invadens tenetur reſarcire omnia damna Regionis invaſæ: Deficiente tertia conditione, invadens peccat mortaliter juxta qualitatem odii, quod non eſt in materia levi, ſed graviſſima, & cum graviſſimum damnum intentet ſuo adverſario; non tamen obligatur ad reſtitutionem..

Subditi non tenentur ſe informare an Bellum ſit juſtum, vel injuſtum Principis, vel Reipublicæ, ut pro ipſis militent; ſatis eſt enim illis, ſi non conſtet de injuſtitia Belli, quamvis etiam dubitarent de illa.

In

In Bello juſto duo ſunt a Principibus obſervanda. Primum ut antequam juſtum Bellum aggrediatur, Princeps petat a ſuo contrario, quod ſibi juſte debetur; nam ſi contrarius, ſeu adverſarius promptus eſt prætenſam ſatisfactionem ei præbere, omnino a Bello eſt abſtinendum: ſecundum ut innocentes directe non occidantur: ſub hoc nomine innocentium veniunt Pueri, Mulieres, Religioſi, Hoſpites, & Peregrini; dixi directe, quia ut plurimum indirecte & iſti offenduntur, cum ita ſint immixti cum militibus, ut ab eis ſeparari non poſſint in incendio Urbium, & everſione Arcium, & murorum, ut doctiſſime notat Maſtrius; licitum eſt contra hoſtes adhibere inſidias, & ſtratagemata, dummodo abſint mendacia, & multo magis perjuria, proinde non peccant exploratores ſe fingendo aliquando amicos cum hoſtibus; licitum non eſt tamen venenare, vel fontes, vel ciſternas, vel arma, eſſet impietas contra jus gentium, neque a ſævioribus Nationibus uſitata.

Eſt ſervanda fides Hoſtibus data, maxime ſi ſponte eſt data: ſi autem cedat in grave damnum Reipublicæ, aut Religionis, cum enim in hoc caſu non potuerit ſe obligare, neque ſervare tenetur, neque etiam obligat, cum altera pars fidem non ſervet, frangenti enim fidem non eſt fides tenenda.

Clerici non poſſunt militare, neque in Bello juſto; nam militia eſt Clericis prohibita ſub graviſſimis pœnis, ex pluribus canonibus, & Clericus militans ſine urgenti cauſa, peccat mortaliter: cauſæ autem urgentes ſunt, ſi bellum eſt repentinum, & Clerici eſſent neceſſarii ad Urbis, & Arcis cuſtodiam, in quo caſu non ſolum poſſunt, ſed obligantur cuſtodire Urbem, aut Arcem, ſi militent ad de-

ſenſionem propriæ vitæ, proximi innocentis, & valde utilis Reipublicæ: item ad defenſionem Patriæ contra injuſtos invaſores, ad obtinendam victoriam Eccleſiæ valde utilem, & in iſtis caſibus tenent multi Doctores, inter quos doctiſſimus Pater Magiſter Coninch Ordinis Predicatorum, Clericos hoc modo militantes per ſe ipſos vulnerantes Hoſtes, vel occidentes, non fieri irregulares, quia talis occiſio, vel vulneratio caret omni culpa; adeoque immunis eſt ab omni pœna.

An detur caſus, in quo poſſint Clerici militare in Bello offenſivo. Reſpondeo negative, quia bellum offenſivum nunquam eſt ita neceſſarium; & data hac grandi neceſſitate, ſunt Laici, qui ſuppleant, & provideant.

Sine urgenti neceſſitate poſiti in minoribus Ordinibus, non poſſunt militare, nec offenſive, nec defenſive, & ſi non peccarent per ſe, peccarent per accidens, quia ſe exponerent periculo evadendi irregulares, & inhabiles ad munus ſui Ordinis, & etiam ſi ſint Beneficiati non peccant mortaliter, niſi petat reſidentiam Beneficium, aut eorum obligationes non impleantur. Si contingat per ſe ipſos aliquem occidere, vel vulnerare, tenentur Beneficium reſignare, aut poſtulare, ut diſpenſentur: diſpenſare autem ſpectat ad Summum Pontificem.

Clerici poſſunt manere in caſtris cum militibus ratione adminiſtrandi ad ſalutem animæ ea omnia, quæ ſunt neceſſaria, imo laudari debent, eſt enim magna charitas; poſſunt hortari ad certamina milites, & animare ad bellandum, & glorioſe ſuperandos Hoſtes, & vincendos; neque peccant, neque fiunt irregulares, & poſſunt in generali perſuadere adverſariorum occiſionem, non autem in particulari:

ri: frui etiam de ſpoliis Hoſtium, dummodo Dux non prohibeat; ſi conſtet de contraria Ducis voluntate tenentur reſtituere.

Licet Principi Chriſtiano in Bello juſto ſibi aſſumere in milites, & in auxilium Hæreticos, & Infideles; dummodo ipſi Principes faciant diſciplinam militarem ſervare, & ut ex dictorum militum conſortio nullum infectionis periculum fideles ſubeant.

CAPUT VI.

DE ODIO.

ODium eſt nomen verbale inſtitutum ad ſignificandam nolitionem alicujus rei: proprie enim qui alium odit, vellet illum non eſſe, ſupra quod bene cecinit Horatius: *Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi*, ideſt ad invicem volentes, ut non eſſent, uno verbo: Odium eſt malevolentia, qua quis vult malum alteri abſolute.

Duplex eſt Odium: aliud eſt abominationis, quando nolumus aliquod tanquam nobis contrarium; aliud eſt inimicitiæ, quando deliberamus aliquid non eſſe tanquam nobis inviſum; ſimiliter: Odium aliud eſt internum, aliud externum, primum eſt retentum in corde, ſecundum deducitur ad offenſionem rei, quæ odio habetur.

Communiter odium eſt peccatum mortale, quia eſt contra præceptum Charitatis, quo jubemur proximum etiam inimicum diligere, & per conſequens, prohibemur illum odio habere, juxta illud: *Ne oderis fratrem tuum in corde*. Levit. 19.: *Qui oderunt juſtum, delinquent*. Pſ. 33. & Jo. 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*.

Poteſt dari odium in proximum ſuum, quod non ſit peccatum, & eſt quando quis non odit perſonam: ſed impietatem, iniquitatem, & ſcelus,quæ ſunt in perſona;de facto Regius Vates canebat: *Facientes prævaricationes odivi*.

Odium nedum eſt peccatum mortale, ſed etiam Capitale, quia ab ipſo alia pullulant peccata: ſiquis odit aliquem ob injuriam acceptam, nonne naſcitur ira? quæ gignit litigia, & rixas, juxta illud Proverbiorum 10. *Odium ſuſcitat rixas*;Si quis habeat in ſe eximias qualitates, nonne pullulat invidia? hæc nonne impulit Cain ad Fratricidium, & fratres Joſeph in ejus venditionem?

Non ſemper eſt peccatum mortale odium in proximum; nam licet ex natura ſua ſit mortale, quia, ut ſuperius dixi, opponitur præcepto Charitatis, tamen poteſt eſſe veniale, vel ex imperfectione deliberationis, vel ex levitate mali, quod deſideratur ei, quem quis odit.

An liceat poſtea malum temporale proximo velle. Cum D. Thom. 2. 2. *Quæſt.* 36. *art.* 2. Reſpondeo, quod liceat ob bonum ſcilicet ejus ſpirituale v. g. Si alicui diviti, aut robuſto peccanti infirmitatem deſideres, & paupertatem, ut convertatur ad Dominum, imo idem Angelicus Doctor cenſet, quod poſſit eidem mors exoptari ſit ſit profectura ad animæ ſalutem: ſunt in eadem ſententia Hyſpanus meus Sotus, & Eminentiſſimus de Lauria.

Non multum temporis eſt, quod mihi duo quæſita facta fuere circa hanc materiam: Primum quæſitum fuit, an peccet mortaliter aliquis habens naturalem antipatiam in alterum, & ad hoc in primis dico: non peccare mortaliter, me explico: ſi voluntas non deſideret proximo ſuo malum, tunc antipatia non eſt culpa mor-

mortalis ; Ratio eſt, quia cum a naturæ conditione, & temperamento quædam naſcantur inclinationes circa aliquem, & averſiones circa alterum, & hoc ob ſimboleitatem, vel contrarietatem temperamentorum;& iſtę averſiones, cum non ſint actus liberi non ſunt imputabiles ad malum eo modo, quo concupiſcentia, quæ licet nos inclinet ad malum,& ſit ex radice mali, ſeu peccati, tamen ipſa non eſt peccatum, ita a pari ; ſecus vero loquendum, quando ad eam naturalem antipatiam accedit actus voluntatis, quæ ſibi in ea complacet, & vult aliquod malum ei circa quem avertitur : tunc poteſt eſſe peccatum mortale, vel veniale juxta gravitatem, vel levitatem mali voliti. Secundum quæſitum eſt : Quodnam majus peccatum inter peccata odii erga proximum, cui reſponſum dedi ; Odium in parentes eſſe majus peccatum, ratio eſt, quia non invenitur apud Spiritum Sanctum major impoſita pœna, quam pro odio Patris, & Matris reſpectu odio aliorum: lege Leviticum *cap.* 20. hæc ſunt formalia verba ; *Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur*.

Ut autem cognoſcatur, quando quis odio habet proximum ſuum, accipe ſigna, videlicet cum incipit loqui de ſuo proximo, & protinus detrahere, calumniis eum afficere, temerarie opera judicare, & vilipendere, vias omnes quærere nocendi, & cum diſplicentia, & triſtitia laudes,& proſperitates ejuſdem proximi ſentire &c.

Fideles, ſeu Catholici viventes inter ſe cum odio, ita ut non valeant ab ipſo retrahi, & ita vivant cum maximo aliorum fidelium ſcandalo, ſunt excommunicandi, & ſeparandi ab Eccleſia, donec inter ſe reconcilientur ; ita jubent multa Sacroſancta Concilia,

inter quæ Aurelianenſe, Toletanum, & alia, quæ brevitatis gratia omitto.

CAPUT VII.

DE CENSURIS.

CEnſura eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis per Eccleſiaſticam poteſtatem impoſita, privans hominem baptizatum uſu aliquorum bonorum ſpiritualium.

Dividitur, in Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum, & eſt diviſio adæquata, nec alia ſpecies Cenſuræ præter iſtas aſſignari poteſt. Non Depoſitio, ac Degradatio, quia licet iſtæ ſint pœnæ ſpirituales, non ſunt tamen medicinales, quatenus non inferuntur ad correptionem, & reſiſtentiam delinquentis, cum ſpe remiſſionis poſita emendatione, ſicut inferuntur Cenſuræ, quæ propterea dicuntur pœnæ medicinales ad ſalutem animæ ordinatæ, ſed inferuntur in perpetuum de ſe, & abſque ſpe remiſſionis.

Neque Irregularitas: non ea quæ provenit ex defectu, quia iſta non eſt pœna, ſed merum impedimentum Canonicum, ſeu mera inhabilitas. Neque altera Irregularitas, quæ provenit ex delicto; quia hæc licet imponatur per modum pœnæ, non eſt tamen pœna medicinalis ad emendationem, ſed potius inhabilitas inducta a jure obreverentiam divinorum,et eſt perpetua de ſe, nec auferibilis per abſolutionem, ſicut Cenſura, ſed per diſpenſationem.

Ferre Cenſuras ſpectat ſolum ad Superiores Eccleſiaſticos habentes juriſdictionem in foro externo, & contentioſo.

Hinc Summus Pontifex poteſtatem habet ferendi Cenſuras in toto Orbe, Epiſcopi in ipſo-

ipſorum Diæceſi, & Prælati Regulares in ſuos ſubditos Regulares.

Non autem Parochi in ſuos Parochianos, quia juriſdictio Parochorum eſt tantum quo ad forum internum, & Sacramentorum adminiſtrationem, non autem quoad forum externum, & contentioſum, ad quod tantum ſpectat ferre Cenſuras.

Poteſt ſimplex Clericus ex commiſſione ſibi facta a legitimo Superiore ferre Cenſuras, quia Clericus eſt capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, etiam ſi tantum habeat primam Tonſuram. Unde ſimplex Clericus prima Tonſura dumtaxat initiatus poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi, & ferre Cenſuras.

Ille vero, qui non eſt Clericus, non poteſt valide ferre Cenſuras, etiam ſi ſit Religioſus, quia Laicus non eſt capax juriſdictionis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ.

Delegatus ad ferendas Cenſuras non poteſt ſubdelegare, niſi habeat ſpeciale mandatum.

Plura requiruntur ad hoc, ut quis ſubjaceat Cenſuris Eccleſiæ.

Primo requiritur, quod quis ſit baptizatus, quia Eccleſia directam jurisdictionem non habet niſi in Baptizatos. Hinc Cathecumeni nequeunt affici Cenſura aliqua, quia adhuc non ſunt de gremio Eccleſiæ; bene tamen hæretici, qui per Baptiſmum ſuſceptum facti ſunt ſubditi Eccleſiæ.

Secundo requiritur quod ſit vivens, vitam nempe agens in hoc mortali corpore, quia in vivos tantum, non in mortuos Eccleſia habet juriſdictionem directam, unde ſi Eccleſia quandoque privat mortuos ſepultura, & ſuffragiis, non eſt quod eos ligat Cenſuris, ſed eſt declarare ipſos deceſſiſſe ex hac vita ligatos Cenſuris, in quas vivi incurrerunt, præci-

piendo fidelibus, ne iis præſtent ſuffragia, & ne eos donent ſepulturæ, quo modo non eſt exercere in mortuos juriſdictionem aliquam directam, ſed tantum indirectam; ſimiliter ſi Eccleſia quandoque abſolvit mortuos a Cenſuris, in quas vivi incurrunt, non eſt quod eos abſolvat directe, ſed indirecte tantum, quatenus concedit fidelibus facultatem pro iis orandi, eoſque ſepulturæ donandi.

Tertio requiritur, quod ſit adultus, ideſt capax delinquendi cum contumacia. Hinc Infantes, & Amentes non poſſunt ligari Cenſuris, quia in eorum actibus non peccant defectu cognitionis.

Quarto, quod ſit inferior, & ſubditus ferenti Cenſuram, quia poteſtas ferendi Cenſuram pertinet ad juriſdictionem exercitivam quæ poteſt tantummodo in inferiores, & ſubditos exerceri.

Hinc Summus Pontifex non poteſt ſuſpendi, excommunicari, vel interdici; nec a ſeipſo, nec ab alio: non a ſeipſo, quia nullus eſt inferior ſeipſo, nec habet poteſtatem coactivam contra ſeipſum; non ab alio, quia nullum habet Superiorem, nec ulli eſt inferior, ac ſubjectus.

Præterea infertur neque æqualem poſſe excommunicari, ſuſpendi, & interdici ab alio æquali auctoritate propria, quia æqualis non eſt inferior, nec par in parem habet imperium. Ex commiſſione tamen, & poteſtate delegata accepta a Superiore, poteſt aliquis ab æquali excommunicari, interdici, vel ſuſpendi, quia per commiſſionem, & delegationem fit illo inferior; Unde Epiſcopus accepta poteſtate a Summo Pontifice poteſt alium Epiſcopum excommunicare, ſuſpendere &c.

Ad

Ad incurrendam Cenſuram requiritur peccatum, & quidem mortale non pure internum, ſed externum, & factum cum contumacia. Ratio primi eſt, quia Cenſura eſt pœna ſpiritualis inflicta ab Eccleſia; pœna autem non imponitur, niſi ob peccatum: Ratio ſecundi eſt, quia pœna gravis, ut eſt Cenſura, non debet imponi niſi ob peccatum grave, adeoque mortale. Ratio tertii eſt, quia Eccleſia non judicat directe de mere internis ſeu de intentionibus. Ratio ultimi eſt, quia ad incurrendam Cenſuram requiritur, quod quis velit exequi id, quod ſcit eſſe ſub Cenſura prohibitum ab Eccleſia, quo modo eſt delinquere cum contumacia, & eſſe contra Eccleſiam contumacem, & inobedientem.

Hinc ſi quis ex gravi metu cadente in conſtantem virum injuſte incuſſo aliquid exequeretur, cui eſſet annexa Cenſura, non incurreret Cenſuram, quia licet gravis metus quandoque non excuſet a peccato, excuſat tamen ab incurſu Cenſuræ, quia in eo caſu non cenſetur contumax.

Ex triplici capite Cenſuræ latæ ab homine redduntur invalidæ; primo ex defectu juriſdictionis in ferente; ſecundo ex defectu ordinis juris non ſervati; tertio, ex defectu juſtitiæ. Ex primo capite erit invalida cenſura lata ab Epiſcopo habente juriſdictionem, vel impeditam, eo quia inciderit ipſe in Cenſuras, vel ſuſpenſam per legitimam appellationem, ob quam ſuſpenditur juriſdictio in Epiſcopo ferendi Cenſuram, & ideo nulla eſſet per dictam appellationem coram Superiore, vel ab Epiſcopo in non ſubditum, vel ſi in ſubditum ab eo exiſtente extra ſuam Diæceſim, quia Epiſcopus extra propriam Diæceſim non poteſt exercere juriſdictionem contentioſam, & ſic-

ut non poteſt exercere Pontificalia, ita a pari ex defectu juriſdictionis & alia. Nec valet paritas de collatione Beneficii, quia hæc eſt gratioſa, & non afficit forum litigioſum, ut Cenſura.

Ex ſecundo capite erit invalida Cenſura, ſi omittatur, vel invertatur ſubſtantialis ordo juris a Sacris Canonibus præſcriptus in ferenda Cenſura pro delicto patrato, conſiſtens in eo, quod reus ut prius citetur ad comparendum citatione Canonica, per triplicem nempe monitionem in ſcriptis ei factam, cum expreſſione cauſæ ob quam fertur in eum Cenſura. Uno verbo, ut valide feratur Cenſura, debent fieri omnes illi actus judiciales, qui ſunt præſcripti a Jure.

Ex tertio capite erit invalida Cenſura, ſi deſit juſta cauſa eam ferendi, quæ triplici modo deficere poſſet; primo, quando delictum in re non fuit patratum, nec fuit ſufficienter probatum in judicio; ſecundo, quando delictum fuit jure patratum, ſed non ſufficienter probatum, eo quod reus non fuerit convictus, nec confeſſus; tertio, quando crimen revera non fuit patratum, juridice tamen ſit probatum, & Judex habet cauſam præſumptam deveniendi ad Cenſuram, juxta allegata, & probata; in quo caſu reus præſumptus, licet in foro conſcientiæ non incurrat Cenſuram, in foro tamen externo debet ſe gerere tanquam incurſus, ne videatur contemnere Cenſuras, & ſit aliis occaſio ſcandali.

Propoſitio Damnata ad hoc Caput reducenda.

Ab ALEXANDRO VII. 44. Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

C A-

CAPUT VIII.

DE EXCOMMUNICATIONE.

EXcommunicatio eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua homo baptizatus privatur Communione Eccleſiæ, & Fidelium.

Excommunicatio dividitur in majorem, & minorem. Excommunicatio major eſt, quæ privat participatione tam activa, quam paſſiva Sacramentorum, item communione Fidelium, & Eccleſiaſtica ſepultura; Excommunicatio vero minor privat tantum participatione paſſiva Sacramentorum, & poteſt audire Miſſam, divina officia, nec privatur juriſdictione in civilibus, nec ſuffragiis.

Excommunicatio alia eſt a jure, alia eſt ab homine. Excommunicatio a jure eſt, quæ per Canonem, vel ſtatutum, ſeu Conſtitutionem inducitur. Excommunicatio ab homine eſt, quæ fertur a Superiore prçcipiente aliquid impoſita contra inobedientes pœna excommunicationis, nempe per præceptum tranſitorium. Illa, quæ eſt a jure, eſt ſemper generalis. Illa quæ eſt ab homine, aliquando generalis, aliquando particularis. Illa quæ eſt a jure, eſt perpetua, & nunquam ceſſat: quæ autem eſt ab homine ceſſat per obitum ferentis, ut volunt aliqui. Illa quæ eſt a jure, ſi nemini ſit reſervata, poteſt abſolvi a quocunque Confeſſario. Ea vero quæ eſt ab homine nequit abſolvi, niſi ab ipſo Superiore, vel ab alio, ex ejus commiſſione.

Item excommunicatio alia eſt latæ ſententiæ, alia ſententiæ ferendæ. Excommunicatio latæ ſententiæ eſt, quæ ipſo facto, ſeu ipſo jure incurritur, nulla expectata Judicis ſen-

tentia. Excommunicatio ſententiæ ferendæ eſt, quæ non incurritur, niſi ſecuta ſententia Judicis.

Materia excommunicationis eſt peccatum mortale externum factum cum contumacia, quando ſcilicet quis ſciens aliquid eſſe ab Eccleſia prohibitum ſub pœna excommunicationis, illud nihilominus facit, quo modo eſt delinquere cum contumacia; ſecus autem non incurritur, ſi deſit contumacia, quæ deeſſet ſuppoſito facto cum ignorantia excommunicationis annexæ.

Excommunicatus excommunicatione majori, licet notorius non cenſetur vitandus, excepto publico, & notorio Clerici percuſſore; qui etiam ſecluſa declaratione, eſt eo ipſo vitandus, nec licet cum eo communicare, dummodo percuſſio adeo ſit notoria, ut nulla tergiverſatione poſſit negari.

Qui advertenter communicat cum excommunicato vitando, & non tolerato in iis Caſibus, in quibus non licet comunicare, peccat mortaliter, & incidit in excommunicationem minorem.

Nequit quis ſcienter communicare in Divinis cum excommunicato vitando; hinc ſub letali nequit quis oratione publica pro eo orare, poteſt tamen oratione privata, ut reſipiſcat: Nequit quis ei adminiſtrare, vel ab eo recipere Sacramenta, niſi illa mortuorum in caſu extremæ neceſſitatis, quando non eſt aliquis qui miniſtret. Item nequit quis cum eo audire Miſſam, intereſſe Proceſſioni, cantui Horarum, Benedictionibus, & cæteris, quæ ab Ordine Clericali ſolemniter fiunt, excepta concione.

Si Sacerdos celebrans adverteret eſſe in Eccleſia excommunicatum vitandum, debet ipſum

ſum ejicere ab Eccleſia, ſi poteſt: ſi non incæpit, debet recedere ab Altari: ſi autem incœpit, debet proſequi uſque ad Communionem, qua peracta debet recedere ab Altari, & reliqua perficere in Sacriſtia.

Item privatur excommunicatus vitandus uſu juriſdictionis propriæ, quæ ei competit ex officio, unde geſta per eum facta, ſunt ipſo jure irrita, ac nulla, durante excommunicatione.

Inſuper privatur converſatione humana, ſeu communicatione civili, unde non poteſt quis colloqui, nec ullum ſalutationis, ac familiaris amicitiæ ſignum cum eo exercere, nec cum eo cohabitare in eadem domo, neque commercium habere in eadem menſa.

Dantur tamen cauſæ quæ excuſant communicantem in civilibus, & in humanis, cum excommunicato, & a peccato, & a minori cenſura. Cauſæ ſunt primo utilitas, ratione cujus poteſt quis petere ſolutionem ſui crediti a debitore excommunicato, Pauper eleemoſynam a Divite excommunicato, emere neceſſaria ad victum, petere medicinam a Medico, & conſilium a Doctore excommunicato, quando tamen hæc omnia æque bene obtineri non poſſint a non ligatis excommunicatione.

Secundo lex matrimonii, ratione cujus Uxor poteſt communicare cum Marito excommunicato, quo ad debitum matrimonii, & ad neceſſaria Domus, & reliqua ſpectantia ad individuam vitæ ſocietatem, lege matrimonii debitam.

Tertio ſubjectio, ratione cujus poteſt ſervus communicare cum Domino ſuo excommunicato; Religioſus ſubditus cum ſuo Prælato, Clericus, qui ſit de familia, cum ſuo Epiſcopo, Miles cum ſuo Duce, Filius cum Patre.

Quar-

Quarto Ignorantia,quod ille cum quo communicat, ſit excommunicatus: attamen ſi dubitaret, an talis ſit excommunicatus, & dubium præſertim oriretur ex eo quod ſit fama, illum eſſe publice excommunicatum, aut ex eo quod id audierit a fide dignis, tenetur inquirere veritatem, & interim abſtinere, donec certificetur.

Quinto neceſſitas, quatenus quis neceſſe habeat communicare cum excommunicato, ut patebit conſideranti caſus neceſſitatis, qui occurrere poſſunt communicandi.

Poteſt Advocatus patrocinari cauſam alicujus excommunicati, ſi tamen cognoſcat, eſſe juſtam, quia cum non ſit prohibitum excommunicato ſe defendere, neque ſunt ei prohibita media ad ſe defendendum; ſi vero advertat, cauſam eſſe injuſtam, & velit nihilominus ipſum patrocinari, & defendere ſuper idem crimen, pro quo fuit excommunicatus; incidit & ipſe in excommunicationem majorem, quia participat in crimine criminoſo.

Poteſt excommunicatus etiam notorius, & denuntiatus valide contrahere matrimonium, quamvis peccet mortaliter contrahens matrimonium in excommunicatione, quia participat in Sacramentis contra prohibitionem cenſuræ. Item Parochus excommunicatus vitandus aſſiſtens matrimonio, valide aſſiſteret; quia aſſiſtere matrimonio non eſt actus jurisdictionis, ſed puræ præſentiæ auctoritativæ, auctorizantis matrimonium contractum, peccaret tamen graviter, quia communicaret contra prohibitionem in re gravi.

Inſuper excommunicatus vitandus poteſt valide inire contractus emptionis, & venditionis, etiam in ſui commodum. Item poteſt valide facere Teſtamentum, & profeſſionem

Re-

Religioſam, quamvis peccaret graviter iſta faciendo abſque neceſſitate, & peccarent etiam illi omnes, qui cum eo in iſtis communicarent; excipi tamen debet Teſtamentum, quod eſſet factum ab excommunicato propter hæreſim, vel propter percuſſionem Cardinalis, quod irritum eſt, & nullum.

Excommunicatus perſeverans in excommunicatione per annum, evadit ſuſpectus de hæreſi, & contra ipſum tanquam de hæreſi ſuſpectum procedi poteſt juxta Tridentinum ſeſſione 25. Decreto de Reformatione cap. 3. ubi ſic ait. *Etſi excommunicatus poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad Sacramenta, & Communionem Fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum tamquam de Hæreſi ſuſpectum procedi poſſit*: ita Concilium, quia præſumitur male ſentire, tam de poteſtate Eccleſiæ, cum non curet de Cenſuris ab ipſa latis, quam de Sacramentis, cum illa non ſuſcipiat ſingulis annis, juxta præceptum Eccleſiæ.

Cenſura excommunicationis non poteſt ferri niſi in Perſonas determinatas; non enim tota aliqua univerſitas, vel collegium, multoque minus integra Civitas poteſt excommunicari; contineret enim errorem intolerabilem, quatenus ſæpe contingeret, innocentes puniri pœna graviſſima excommunicationis contra rationem.

Poteſt tamen integra Civitas interdici, & ſuſpendi. Ratio autem differentiæ, cur ſuſpenſio, & Interdictum ferri poſſit in communitatem, non autem excommunicatio, hæc eſt, quia Suſpenſio, & Interdictum, non ſunt pœnæ adeo graves, ſicut excommunicatio; non enim privant internis animæ bonis, ideſt

ſuſ-

ſuffragiis, & auxiliis Eccleſiæ, ſicut privat excommunicatio; unde non eſt abſurdum, innocentes aliquando ligari ſuſpenſione, & interdicto propter delinquentes. Quare ſi excommunicatio fertur aliquando contra communitatem aliquam, vel Collegium, non fertur contra communitatem, vel Collegium abſolute (ſed cadit in ſingulos delinquentes illius communitatis, & Collegii, qui ſufficienter determinantur per delictum ab ipſis patratum,) ſed fertur, & cadit in eos tantum, qui delictum patrarunt.

Rex, & Imperator, eorumque Uxor, & Filii privilegium habent, ut non ſubjaceant cenſuris latis ab Epiſcopo, ſed ſolum a Summo Pontifice. Hoc eodem privilegio gaudent ij, qui in proprios ac peculiares Eccleſiæ Romanæ filios ſunt recepti.

Excommunicationes, quæ jure incurruntur, dividuntur in quatuor claſſes. Aliæ dantur, quæ nemini ſunt reſervatæ, a quibus poteſt ſimplex Confeſſarius abſolvere. Aliæ, quæ ſunt reſervatæ Epiſcopo, a quibus niſi Epiſcopus, vel ab eo Delegatus poteſt abſolvere. Aliæ ſunt reſervatæ Papæ, extra Bullam Cænæ, & aliæ in Bulla Cænæ, a quibus non poteſt abſolvere niſi Papa, vel ab eo Delegatus.

Excommunicationes reſervatæ Papæ extra Bullam Cænæ, ſunt ſequentes, quas incurrunt injicentes violentas manus in Clericos vel Monachos. Violantes Clauſuram Monialium ad malum finem. Simoniaci; Duellantes, & violantes Immunitatem Eccleſiaſticam circa confugientes ad Eccleſias.

In excommunicatione lata contra injicientes violentas manus in Clericos, vel Monachos, ſunt comprehenſi etiam mandantes,

con-

conſulentes, & auxilium ſeu favorem præbentes.

Nomine Clerici venit quicunque etiam ſola Tonſura initiatus, etiam conjugatus, dummodo non ſit Bigamus, & deferat habitum Clericalem, & ſerviat Eccleſiæ, & etiam depoſitus, ac verbaliter tantum degradatus.

Nomine Monachi, vel Religioſi venit quicunque ſive maſculus, ſive fœmina, nedum Profeſſus, ſed etiam Novitius; item converſus, & etiam Tertiarius, dummodo deferat habitum, & vivat in communitate; inſuper etiam Eremita ſubjectus alicui regulæ, & Superiori.

Nomine violentæ injectionis manuum in Clericum intelligitur quęcumque actio contumelioſa, violenta exterior, mortaliter peccaminoſa facta ipſi Clerico. Et etiam ſi Clericus ipſe eſſet conſentiens, adhuc injiciens in eum manus violentas, atque percutiens, incideret in excommunicationem, quia Clericus nullum jus habet ad renunciandum privilegio Canonis conceſſo non ſibi, ſed ſtatui Clericali. Immo etiam incideret in excommunicationem Clericus ipſe, ſi ſuadente Diabolo percuteret ſeipſum.

Clerici pueri habentes primam Tonſuram, ſi pugnis ſe percutiant, cenſet Bonacina, quod non incurrant in excommunicationem, cum id potius videatur joco, ac levitati animi attribuendum, quam ſuaſioni Diaboli.

Percutiens Clericum injuſte aggreſſorem ad defenſionem ſui, vel ſuæ vitæ, vel Uxoris, vel Parentum, vel rerum ſuarum cum moderatione inculpatæ tutelæ, non incurrit excommunicationem; nec item incurreret qui Clericum percuteret, quem neſciret eſſe Clericum, eo quia ignorantia excuſat.

Præ-

Præterea non incurreret in excommunicationem injiciens violentas manus, ſeu percutiens Clericum, qui habitum dimiſiſſet ſine intentione ipſum reaſſumendi, vel qui eſſet realiter degradatus, vel qui eſſet Bigamus, vel qui officium exerceret Cauponis, aut Macellarii, & ter Canonice monitus non ceſſaret, quia iſti pro Clericis non computantur. Denique ſi eſſet deprehenſus in turpi actione cum Uxore, vel cum filia, vel cum Matre, vel cum Sorore, vel in actu turpis ſollicitationis cum Muliere, quia Clerici in talibus actibus deprehenſi perdunt Privilegium Canonis.

Si percuſſio Clerico facta ſit levis, verbi gratia pugno, manu, vel lapide, etiam ſi aliquæ guttæ ſanguinis effluant, poteſt Epiſcopus abſolvere; ſi autem ſit gravis in ſe, quia facta cum magna ſanguinis effuſione, cum gravi corporis læſione, vel mutilatione alicujus membri, recurrendum eſt ad Summum Pontificem pro abſolutione, dummodo gravis iſte percuſſor non ſit Femina, quia in caſu, quo eſſet Femina, poteſt Epiſcopus abſolvere. Item ſi percuſſio ſit gravis reſpectu Perſonæ percuſſæ, quamvis levis in ſe, ut v. g., ſi quis ſimplici alapa percuteret Epiſcopum, vel Eccleſiaſticum nobilem, pariter recurrendum eſſet ad Papam.

Clerici collegialiter viventes in Seminariis, ſi ſe invicem percuſſerint etiam graviter, poteſt Epiſcopus abſolvere, qui poteſt etiam abſolvere nedum feminas, ſed & impuberes doli capaces ab excommunicatione ab iis contracta ob gravem Clerici percuſſionem.

Loquendo autem de Religioſis ſe invicem percutientibus, etiam graviter, abſolvantur a proprio Monaſterii Prælato. Si vero Religioſus percutiat Clericum ſæcularem, debet ab

E-

Epiſcopo abſolvi, ſi percuſſio ſit levis, ſi vero ſit gravis, mittendus eſt ad Summum Pontificem.

Denique poteſt Epiſcopus abſolvere quemcumque ſibi ſubditum Clerici percuſſorem, etiam graviter, quando delictum eſt occultum, nec deductum ad forum contentioſum.

Hæreticus, qui internam hæreſim exterius ſufficienter manifeſtat verbis, aut ſignis, incurrit eo ipſo in excommunicationem Summo Pontifici reſervatam in Bulla Cœnæ, quamvis eam occulte tantum manifeſtaverit.

Dixi: quamvis occulte tantum manifeſtaverit, ut ſcias, excommunicationem incurri etiam ab eo, qui hæreſim ſolus profert nullo alio præſente, vel audiente, ut conſtat in aliis delictis ſub cenſura prohibitis, in quibus cenſura contrahitur, quamvis delicta occulte patrentur.

Utrum autem Epiſcopi poſſint per ſeipſos abſolvere ab hæreſi, quando hæc eſt occulta. Extant hinc inde Doctores, alii enim affirmant; alii negant.

Non eſt obligatio Fidelibus vitare Hæreticos, licet notorios quantum eſt ex vi excommunicationis, niſi ſint nominatim denuntiati excommunicati; ſecluſo tamen ſcadalo, & intentione favendi hæreticis, ut hæreticis, & periculo ſubverſionis.

Qui ſcienter, & abſque Pontificis licentia publice, vel occulte legit, aut retinet libros hæreticorum hæreſim continentes, aut tractantes de Religione, incurrit ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ, quamvis legat, vel retineat curioſitatis gratia, & abſque pravo animo.

Adverto tamen, ad incurrendam dictam excommunicationem requiri lectionem in quanti-

titate notabili, quæ ſit materia ſufficiens peccati gravis; nam ſi lectio eſſet in parva quantitate, verbi gratia, ad unam, vel duas, aut tres lineas, videtur poſſe excuſari ratione parvitatis materiæ.

Qui autem legit, aut retinet abſque licentia libros prohibitos, præciſe ob ſuſpicionem hæreſis, aut falſi Dogmatis, incurrit quidem excommunicationem, ſed nulli reſervatam; & jure communi a quolibet Confeſſario auferibilem per abſolutionem.

CAPUT IX.

DE SUSPENSIONE.

SUſpenſio eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica privatur exercitio ſui officii, vel in totum, vel in partem, vel in perpetuum, vel ad tempus

Suſpenſio multiplex eſſe poteſt juxta ſenſum verborum quibus exprimitur. Alia ſcilicet ab officio ſive Ordinis, ſive juriſdictionis. Alia a Beneficio tantum, ſive Beneficium ſit Canonicatus, ſive dignitas, ſive Epiſcopatus, ſive aliud. Et alia ab Officio, & Beneficio ſimul.

Suſpenſio ab officio tantum, alia eſt, quæ ſuſpendit ab officio in totum, & eſt illa, qua quis ſuſpenditur ab omni uſu ſui officii, non ſolum Ordinis, ſed etiam juriſdictionis. Et alia eſt, quæ ſuſpendit ab officio in partem, & eſt illa, qua quis ſuſpenditur v. g. ab audiendis confeſſionibus, non vero ab adminiſtrandis cæteris Sacramentis, aut aliis, quæ concernunt proprium officium.

Suſpenſio vel eſt ad tempus, vel eſt indefinita tempore, ſeu in perpetuum. Prima eſt, quæ fertur cum limitatione termini, ſeu temporis,

v. g. quando quis ſuſpenditur ad menſem, vel ad annum. Secunda eſt quæ fertur ſimpliciter, & abſolute ſine limitatione temporis.

Suſpenſio alia eſt a jure, & eſt illa, quæ continetur in lege ſeu ſtatuto. Alia eſt ab Homine, & eſt illa, quæ fertur a Superiore aliquid præcipiente, non per legem aut ſtatutum, ſed per præceptum temporale, & tranſitorium ſub pœna ſuſpenſionis; & ideo a jure ſemper durat, cum lex, & ſtatutum duret etiam mortuo conditore. Ea autem, quæ eſt ab Homine cum in fieri, & in eſſe ab eo pendeat, ideo ceſſat, eo mortuo, quemadmodum dixi, & dicendum de excommunicatione a jure, & ab Homine. Denique alia eſt latæ ſententiæ, alia ſententiæ ferendæ, ut patet.

Suſpenſio lata abſolute, & ſimpliciter ſine limitatione expreſſa, vel tacita, ſuſpendit abſolute ab omnibus, ideſt ab Officio, & Beneficio ſimul. Ratio hæc eſt, quia bene attendenda ſunt verba ſuſpenſionis, quæ tantum extenditur quantum verba ſonant; cum ergo in caſu verba ſonent generaliter, ideo ſuſpenſio ſic lata comprehendit omnia, & etiam cum non determinet tempus, intelligitur eſſe perpetua.

Hinc Epiſcopus v. g. ſuſpenſus ſimpliciter ſine ulla reſtrictione, intelligitur ſuſpenſus ab omnibus, quæ ſunt nedum Ordinis Epiſcopalis, ſed etiam juriſdictionis; itaut non poſſit exercere Pontificalia, ideſt Confirmare, conferre Ordines, benedicere Chriſma, conſecrare Eccleſias &c. neque ullum actum Juriſdictionis, ideſt ferre Cenſuras, conferre Beneficia, approbare Confeſſarios &c.

Suſpenſio autem lata cum reſtrictione, ſuſpendit ſolum ab iis, ad quæ reſtringit, & non ad alia; unde Sacerdos v. g. ſuſpenſus a celebra-

bratione poteſt reliqua Sacerdotis munera præſtare.

Hinc Epiſcopus ſuſpenſus tantum a Pontificalibus, intelligitur ſuſpenſus ab iis tantum, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, non autem ab iis, quæ ſunt juriſdictionis.

Nomine Pontificalium intelliguntur inſignia Pontificalia, & uſus Mitræ, Baculi paſtoralis, & Pallii, ſi ſit Archiepiſcopus; unde ab iis ſuſpenſus intelligitur etiam connexive ſuſpenſus ab iis omnibus, ad quæ exercenda Eccleſia præſcribit uſum Pontificalium, & hinc etiam Parochus, v. g. ſuſpenſus a Confeſſionibus audiendis poteſt cætera Sacramenta adminiſtrare, & alia exercere, quæ concernunt proprium officium.

Suſpenſus ab Ordine ſimpliciter, & abſque ulla limitatione, intelligitur ſuſpenſus a quolibet Ordine, quia nomen *Ordo* ſimpliciter prolatum dicitur de quolibet Ordine.

Suſpenſus ſimpliciter ab officio, nulla addita limitatione, intelligitur ſuſpenſus ab officio non tantum Ordinis, ſed etiam juriſdictionis. Ratio eſt, quia uſus Ordinis, & juriſdictionis competit ratione officii abſolute prolati; ſuſpenſus ergo ab officio, intelligitur non tantum ſuſpenſus ab officio Ordinis, ſed etiam Juriſdictionis. Unde Parochus v. g. ſuſpenſus ſimpliciter ab officio non poteſt celebrare, nec adminiſtrare Sacramenta, nec aſſiſtere matrimonio &c.

Suſpenſus ſimpliciter ab officio, non intelligitur eo ipſo ſuſpenſus a Beneficio, ſeu fructibus Beneficii, ut ſuſtinent plures, & quidem graves Doctores, quidquid alii dicant. Ratio eſt, quia pœnæ non ſunt ampliandæ, niſi ratio aliter ſuadeat; Tum quia aliquando fertur ſuſpenſio ab officio, aliquando ab officio, & Be-

Beneficio ſimul, ergo quando fertur ſuſpenſio hoc ſecundo modo, aliquid plus importat, quam quando fertur primo modo, ergo quando fertur ab Officio, non intelligitur eſſe lata etiam a Beneficio.

Verum tamen eſt, ſuſpenſum ab Officio, debere per alium ſupplere onera ſui Beneficii, quæ per ſe non poteſt exercere; alioquin non poteſt fructus Beneficii percipere, cum Beneficium detur propter officium.

Suſpenſus a Beneficio non intelligitur eo ipſo ſuſpenſus ab officio, etiam ſi officium ei competat ratione Beneficii, quia aliud eſt officium, aliud Beneficium, & in materia pœnali non eſt facienda extenſio: unde ſuſpenſus a Beneficio, non cenſetur ſuſpenſus ab exercitio ſui officii, quinimmo adhuc tenetur perſolvere onera Beneficii, a quo eſt ſuſpenſus.

Suſpenſus ergo a Beneficio, intelligitur, ſuſpenſus ſolum a fructibus Beneficii, ſeu a jure ad fructus beneficii, qui fructus pro tempore ſuſpenſionis ſunt applicandi in utilitatem Eccleſiæ, detractis iis, qui dandi ſunt ſubſtituto ad inſerviendum.

Dixi tantum a fructibus Beneficii, quia ſuſpenſus a Beneficio poteſt percipere diſtributiones, quæ proveniunt aliunde, quam intuitu Beneficii, cujuſmodi ſunt Eleemoſynæ, quæ dantur propter anniverſaria, & onera perſonalia Clericorum, hæc enim ſunt emolumenta omnino diſtincta a fructibus Beneficii.

Utrum autem ſuſpenſo a Beneficio tradenda ſit aliqua portio fructuum ſufficiens ad ipſius ſuſtentationem.

Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim eſt ſuſpenſus ob contumaciam, vel in pœnam delicti patrati. Si primum, nihil ei tradendum eſt, præciſa tamen extrema neceſſitate; in quo

ca-

caſu quilibet tenetur ſubvenire extreme indigenti. Ratio enim hæc eſt, quia ipſius culpæ imputanda eſt carentia fructuum, & alimentorum, cum in ejus libertate ſit recedere a contumacia per obedientiam Eccleſiæ, & ſic liberari a ſuſpenſione, & acquirere jus ad fructus percipiendos.

Si vero ſecundum, tradenda eſt portio fructuum ſufficiens ad congruam ſuſtentationem; taxanda vel authoritate Superioris, ſi ſuſpenſio fuit lata ab homine per ſententiam, vel judicio prudentis viri, ſi ſuſpenſio ſit lata a jure, nec delictum fuit deductum ad forum contentioſum. Ratio hæc eſt, quia par non eſt, ut Clericus ſuſpenſus in pœnam delicti cogatur mendicare contra honeſtatem, & decentiam ſtatus Clericalis, dum non eſt in ſua poteſtate eximi a tali pœna.

Suſpenſus a Divinis Officiis non poteſt perſolvere Divina Officia ex officio, & more Clericorum, unde non poteſt intereſſe Choro, & canere ut Clericus, ſed ad ſummum ut Laicus Beneficiarius ſic ſuſpenſus tenetur horas Canonicas privatim recitare, quia æquum non eſt, ne reportet commodum ex ſuo delicto.

Si quis eſſet ſuſpenſus a Divinis ſimpliciter ſine alio addito, intelligeretur ſuſpenſus a divinis in totum, quin poſſet exercere ullum actum, qui ſit proprius Ordinis, & juriſdictionis.

Suſpenſio lata in Capitulum, ſeu Communitatem, afficit ſolum Communitatem, ſeu Capitulum quo ad ea, quæ Capitulo in corpore competunt, niſi aliter ex verbis exprimatur, vel ex ſubjecta materia, aut ex circumſtantiis deducatur. Ratio eſt, quia Capitulo in corpore competunt actiones, & jura, a quibus poteſt ſuſpendi, ergo de iis ſolum intelligitur

ſuſ-

ſuſpenſio lata in Capitulum, ſeu in Communitatem, niſi aliter ex verbis &c. Et enim ſumus in materia pœnali, in qua ſtrictior interpretatio facienda eſt.

Hinc ſuſpenſa Communitate, ſeu Capitulo conſtituente unum corpus cum authoritate officii, non intelliguntur ſinguli de corpore ſuſpenſi ſuis propriis, & perſonalibus officiis, & Beneficiis, niſi aliter ex verbis exprimatur &c.

Ut ſuſpenſio ferenda ſit valida, debet conſtare de crimine, & contumacia reo citato, & præmonito, deinde ferri debet ſententia in ſcriptis, exprimens cauſam ſuſpenſionis cum nomine ferentis ſententiam, & nomine contra quem fertur ſententia. In delicto tamen notorio, vel in crimine probato non eſt opus admonitione, ſicut neque in ſuſpenſione, quæ eſt a jure, quia jus ipſum eſt loco admonitionis, niſi aliter in jure exprimatur.

Suſpenſus eſt ubique ſuſpenſus, quia ſuſpenſio eſt Cenſura, quæ ſequitur ſuſpenſum ubicunque ſit.

Suſpenſio abſolute lata abſque determinatione temporis, durat donec auferatur per abſolutionem. Suſpenſio vero lata ad tempus, eo tempore elapſo, ceſſat abſque alia abſolutioue, ſicut etiam ſi feratur ſub his terminis. *Sis ſuſpenſus donec ſatisfeceris*, exhibita ſatisfactione ceſſat.

Participans, ſeu communicans in divinis cum ſuſpenſo tolerato ſeu nondum denuntiato, non peccat. Unde petens Miſſam a proprio Parocho ſuſpenſo ab officio, ſed tolerato, vel ab eo petens, & recipiens Sacramenta, non peccat, ſicut nec peccat ſuſpenſus ipſe toleratus celebrans, & adminiſtrans Sacramenta petenti, dummodo non ſe ſponte ingerat, & alio-

quin ſit interius diſpoſitus pro digna adminiſtratione. Et ratio eſt, quia in Concilio Conſtantienſi fuit fidelibus conceſſa facultas communicandi in Sacramentis, & quibuſcumque divinis cum excommunicatis, ſuſpenſis, interdictis, ſeu irregularibus, idque ad effectum vitandi ſcandala, ſcrupulos, & pericula animarum.

Dixi cum ſuſpenſo tolerato, quia communicans cum ſuſpenſo denuntiato in iis actibus, a quibus eſt ſuſpenſus, ſecluſa neceſſitate, certum eſt, quod peccat mortaliter, quia communicat in peccato alterius.

Suſpenſus ab exercitio Ordinis nominatim denuntiatus exercens ſolemniter, & ex officio actus Ordinis, a quo eſt ſuſpenſus, non ſolum peccat mortaliter, ſed ſit irregularis, ſecus autem ſi exerceat non ſolemniter, nec ex officio, ex communi Doctorum ſententia: nec item ſi exerceat actus ſolius juriſdictionis, quia hæc irregularitas non extat in jure expreſſa. Nec denique ſuſpenſus ab officio Diaconatus, vel ab officio concionandi fit irregularis concionando, quia concionari non eſt actus annexus Ordini Diaconatus, quin fieri poſſit etiam a Laicis de licentia Epiſcopi etiam cum ſuperpelliceo, & benedictione.

Unde ſequitur ex his primo, ſuſpenſum ab Ordine effici irregularem, benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, mulierem poſt partum &c. juxta ſolemnitatem Eccleſiæ, quia violat ſuſpenſionem per exercitium Ordinis Sacri, cum hujuſmodi benedictiones ſint actus Ordinis Sacri, dum cum ſolita ſolemnitate fiunt. Secus dicendum de benedictione menſæ; hæc enim non eſt uſus Ordinis Sacri, ſed eſt actio, quam tam Laici, quam Clerici præſtare poſſunt.

Se-

Sequitur ſecundo, ſuſpenſum ab ingreſſu Eccleſiæ, conſequenter ab exercitio Ordinis in Eccleſia, fieri irregularem celebrando in Eccleſia, non autem ſi celebraret extra Eccleſiam, puta in Oratorio privato non deſignato in perpetuum ab Epiſcopo pro celebratione.

Sequitur tertio, Epiſcopum ſuſpenſum ab iis quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, fieri irregularem conficiendo Chriſma, conferendo Ordines, conſecrando Eccleſias, calices &c., non autem ſi exerceat ea, quæ ſunt ſolius juriſdictionis.

Sequitur quarto, ſuſpenſum a Divinis Officiis, fieri irregularem, ſi ea perſolvat ex officio, eo modo ſcilicet, quo perſolvi ſolet tantum ab initiatis Ordine Sacro.

Geſta per ſuſpenſum ſimpliciter ab officio, qui non eſt nominatim denuntiatus, ſunt valida, quia juriſdictio in eo perſeverat, quandiu ab Eccleſia toleratur; ſi autem eſt nominatim denuntiatus, ea, quæ ſunt Ordinis, nec proprie requirunt juriſdictionem ad ſuum valorem, valida ſunt. Ea vero, ad quæ exercenda proprie requiritur juriſdictio, ſunt invalida.

Hinc collatio Beneficii facta a ſuſpenſo ab officio denuntiato, ſicut & Cenſura quælibet ab eo lata, invalida eſt, quia caret juriſdictione.

Item actus abſolutionis Sacramentalis invalide exercetur a ſuſpenſo denuntiato, quia talis actus, non ſolum requirit Ordinem, ſed etiam uſum juriſdictionis, niſi adſit error communis vulgi. Et inſuper fit irregularis, quia exercet actum non ſolius juriſdictionis, ſed etiam Ordinis radicaliter, quatenus poteſtas juriſdictionis ad abſolutionem Sacramentalem radicatur, ſeu fundatur in poteſtate Or-

dinis, & etiam præſupponitur eſſentialiter tamquam radix, & fundamentum.

Verum tamen præſentia Parochi ad matrimonium contrahendum, quamvis ſuſpenſi ab officio, & denuntiati, dummodo non ſit actualiter depoſitus, & perſeveret in poſſeſſione Beneficii, eſt valida, quia hæc præſentia, ſeu aſſiſtentia, non eſt proprie actus juriſdictionis, ſed Teſtis qualificati authorizantis præſentia ſua actum contrahentium. Neque aſſiſtens quamvis graviter peccet, efficitur irregularis, quia non exercet actum Ordinis.

Suſpenſiones, quæ ſunt a jure, & nemini reſervatæ, poſſunt abſolvi a quolibet Confeſſario, quia hoc ipſo quod reſervatæ non ſunt, cenſetur annexa facultas cuilibet Confeſſario ea abſolvendi, teſte communi conſuetudine, quod idem valet de aliis Cenſuris a jure non reſervatis.

Suſpenſiones autem, quæ ſunt ab homine non poſſunt abſolvi niſi a ferente, vel ab ejus Delegato cum facultate ſpeciali. Unde in caſu mortis, vel ceſſationis Juriſdictionis ipſius ſuſpendentis, poterit qui fuit ab eo ſuſpenſus, & nondum abſolutus, abſolvi a Capitulo, quia Capitulum Sede Vacante ſuccedit in juriſdictionem Epiſcopi, vel ab Epiſcopo Succeſſore, quod idem valet de qualibet alia Cenſura lata ab Homine.

Hinc Suſpenſio, & quælibet alia Cenſura lata ab homine, qua quis manet ligatus, & nondum abſolutus, non ceſſat ceſſante aut vita, aut juriſdictione Prælati, a quo fuit lata. Quia Cenſura, ſtatim ac eſt lata, conſequitur ſuum effectum, & comitatur Perſonam ubicumque ſit. Tum quia Cenſura non deſinit morte ipſius obſtricti, ergo neque deſinit morte ipſius obſtringentis, ſeu ferentis Cenſuram. Tum denique

nique quia pœna impoſita non ceſſat morte imponentis.

Nec obſtat, quod ſupra diximus, Cenſuram excommunicationis, & ſuſpenſionis ab Homine latam, ceſſare per obitum ferentis. Id enim intelligi debet de ceſſatione Cenſuræ, quatenus incurrendæ poſt mortem illius, a quo fuit lata, non autem de ceſſatione ejuſdem jam incurſæ ipſo vivente.

Epiſcopus poteſt abſolvere ab omnibus ſuſpenſionibus, quæ ſunt ex delicto occulto, & non deductis ad forum contentioſum.

Etenim ſtatim ac ſunt deductæ ad forum, ſunt Apoſtolicæ Sedi reſervatæ.

Suſpenſiones quæ ipſo jure incurruntur, aliæ ſunt contra Clericos latæ, aliæ contra Epiſcopos. Et aliæ contra Religioſos, quas ſingillatim referre nimium eſſet, & videri facile poſſunt apud Auctores.

CAPUT X.

DE DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

Depoſitio, & Degradatio hic ſumuntur pro eodem. Et duplex diſtinguitur, alia actualis, ſeu realis, alia verbalis.

Depoſitio ſeu Degradatio verbalis eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua Perſona Eccleſiaſtica privatur omni Beneficio, & officio in perpetuum ſine ſpe remiſſionis, cum quadam ſolemnitate in jure præſcripta.

Hinc differentia, quæ datur inter unam, & alteram, prima eſt, quod depoſitio ſeu Degradatio realis fieri ſolet cum majori ſolemnitate, quatenus degradandus induitur omnibus pertinentibus ad illum Ordinem a quo degra-

dari debet, & ductus ad conſpectum Epiſcopi aſtantibus vel Epiſcopis ſex ultra proprium Epiſcopum, vel Abbatibus mitratis, ideſt habentibus jus Mitræ, & Baculi, vel aliis in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutis, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini ſeſſione 13. cap. 4. ibi ſiſtitur, & ab eodem Epiſcopo gradatim exuitur uſque ad Clericalem veſtem incluſive, & privatur, ac tandem capillis tonditur prolatis quibuſdam verbis terrorem incutientibus, ut habetur in Pontificali Romano.

Secunda differentia eſt, quod verbalis fieri poteſt in abſentem contumacem. Realis autem non fit niſi in præſentem. Tertia eſt, quod depoſitus ac degradatus realiter, privatur privilegio Fori, & Canonis, itaut deinceps poſſit cogi, & puniri a Judice ſæculari, & ſi quis illum percutiat, non incidit in excommunicationem. Depoſitus vero verbaliter tantum adhuc fruitur privilegio Canonis, & etiam Fori; niſi forte poſt depoſitionem verbalem factus ſit incorrigibilis per perſeverantiam in iiſdem criminibus, in quo caſu producta contra eum ſententia incorrigibilitatis, privatur etiam privilegio Clericali.

Attamen Sacerdos realiter degradatus, poteſt valide conſecrare, quia ejus character ſignans poteſtatem conſecrandi eſt indelebilis: & adhuc tenetur ad recitationem Divini Officii, quia non eximitur a tali onere per ſuam culpam. Et ſi contraheret matrimonium, invalide contraheret, quia adhuc retinet Ordinem, & Votum Caſtitatis annexum.

Crimina, ob quæ quis meretur verbalem degradationem, ſunt adulterium, concubinatus perſeverans poſt monitionem, ſimonia notoria, ſtuprum, inceſtus, homicidium, perjurium, & furtum, quæ tamen conſtant in Judicio.

Cri-

Crimina vero, quæ merentur degradationem realem, ſunt homicidium qualificatum; verbi gratia, Sacerdotis, aut alterius perſonæ Eccleſiaſticæ in maxima dignitate conſtitutæ. Crimen hæreſis, ſodomia ſæpius repetita, & ſimilia.

Depoſitio verbalis presbyteri ſpectat ad proprium Epiſcopum, qui poteſt delegare ſuum Vicarium Generalem. Degradatio vero actualis ad ſolum Epiſcopum de jure novo Concilii Tridentini loco citato. Degradatio vero Epiſcopi ſpectat ad Papam. Ad degradandum Epiſcopum duodecim Epiſcopi requiruntur; Prælati autem Religioſorum non habent facultatem deponendi ſuos ſubditos.

In degradatione actuali Sacerdotis requiruntur ſex Epiſcopi; in degradatione Diaconi, & Subdiaconi tres. Si tamen tot Epiſcopi haberi nequeant, adhibendi ſunt totidem Abbates, & ſi tot Abbates in Civitate, vel Diœceſi non reperiantur, aut commode intereſſe non poſſint, adhibendi ſunt alii in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, juxta diſpoſitionem Tridentini loco ſupra citato.

Et debent præfati intervenire non tanquam puri Aſſeſſores, ſed tanquam Judices, dando votum, & ſuffragium ſuper ſententiam depoſitionis, ac degradationis, ita ut omnes conſentiant, nemine diſcrepante, quia in jure habetur, neminem poſſe a Sacerdotali gradu deponi, niſi adſit concors omnium ſententia: & intereſſe debent nedum in ſententia definitiva, ſed etiam in ipſius ſententiæ executione.

Verum ſi degradatio ſit facienda ob crimen hæreſis, tunc præfatus aſſiſtentium numerus non requiritur de jure, ſed Epiſcopus deponere, ac degradare poteſt convocatis Abbatibus

M 4 aliiſ-

aliiſque Prælatis, & Religioſis Perſonis, ac Litteratis ſuæ Diæceſis, prout ei expedire videbitur.

Perſonæ, quæ degradari poſſunt, ſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ in Ordine Eccleſiaſtico conſtitutæ, ut ſunt Epiſcopi conſecrati, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi. Et licet etiam Clerici minoribus ſolum Ordinibus, vel Tonſura initiati degradari poſſint, id tamen non eſt in uſu; tamen ad degradandos Clericos ſufficit proprius Epiſcopus cum præſentia Capituli, aut nonnullorum Capituli repræſentantium unum Capitulum.

Epiſcopus poteſt diſpenſare cum depoſito ſolum verbaliter, & eum reſtituere in priſtinum ſtatum, dummodo depoſitio fuerit facta ob adulterium, vel ob alia crimina adulterio minora; nempe ob ſtuprum &c. In his enim caſibus facultas datur Epiſcopo diſpenſandi poſt peractam a reo pœnitentiam.

At cum ſolemniter degradato per ſententiam juſtam, non poteſt niſi Pontifex diſpenſare, & in priſtinum reſtituere.

Nota, quatuor eſſe cauſas excuſantes a ſuſpenſione, prima ignorantia, ſecunda inadvertentia, tertia impoſſibilitas, quarta appellatio ad Superiorem, ſi fiat ante Judicis ſententiam: idem dic de qualibet cenſura.

CAPUT XI.

DE INTERDICTO.

INterdictum eſt Cenſura Eccleſiaſtica prohibens uſum Divinorum, ut uſus eſt, per quam particulam differt Interdictum ab Excommunicatione, quæ privat uſu Divinorum,

rum, prout eſt quædam communicatio cum aliis Fidelibus, & a Suſpenſione, quæ privat uſu Divinorum, prout competit ex Officio, vel Beneficio. Interdictum vero privat uſu, ut uſu.

Tria ſunt, quorum uſu privat Interdictum; videlicet, uſu Divinorum officiorum, uſu Sacramentorum, & uſu Eccleſiaſticæ Sepulturæ.

Interdictum aliud eſt locale, aliud perſonale, & aliud mixtum; Locale eſt, quo directe interdicitur locus, ne in eo Divina peragantur. Perſonale eſt, quo prohibetur Populus, vel aliqua perſona particularis intereſſe, ac frui Divinis, ubicumque reperiatur: mixtum vero complectitur locale, & perſonale, quando ſcilicet interdicitur tam locus, quam perſona.

Poſito Interdicto locali, ſeu interdicto loco, non cenſetur ex eo præciſe interdictus Populus, niſi aliud exprimatur, ſed tantum ille, aut illi, qui cauſam culpabilem dederunt interdicto. Et e contra, poſito Interdicto perſonali non cenſetur ex eo poſitum Interdictum locale, niſi hoc exprimatur a Judice, & ratio eſt, quia verſamur in materia pænali, & odioſa, quæ non eſt extendenda, niſi adſit expreſſio.

Interdictum locale generale eſt illud, quo interdicitur locus univerſalis, ut Regnum, aut Provincia, aut Diœceſis, aut Civitas, aut Villa, aut Caſtrum.

Interdictum locale, ſicut perſonale, aliud eſt generale, aliud ſpeciale, ſeu particulare.

Interdicta Diæceſi, non intelligitur ex eo interdicta Civitas, niſi Civitatis fiat clara expreſſio. Quia aliud venit nomine Diæceſis, aliud nomine Civitatis, præſertim in ma-

teria pœnali, & odioſa, in qua ſtrictior interpretatio facienda eſt.

Interdicta aliqua Civitate, intelliguntur etiam interdicta ſuburbia, ne videlicet Cives ſumant inde occaſionem parvipendendi interdictum, accedendo ad ſuburbia, ut audiant Divina, ſi ibi celebrarentur.

Inſuper interdicta Civitate ab Epiſcopo per interdictum locale generale, intelliguntur interdictæ etiam Eccleſiæ Regularium, ita decernente Concilio Tridentino ſeſſione 25. de Regularibus cap. 12. Tum ob eandem rationem paulo ante adductam.

Dixi per Interdictum locale generale, quia per interdictum ſpeciale non poteſt Epiſcopus ponere interdictum in Eccleſiis Regularium, quia non habet directam juriſdictionem in talibus Eccleſiis, nec jus illud hoc ſtatuit, ſicut ſtatuit in Interdicto locali generali.

Interdictum locale ſpeciale, ſeu particulare eſt, quo interdicitur aliquis locus particularis, puta aliqua Eccleſia, vel Cappella, ſeu Oratorium.

Interdicta aliqua Eccleſia, intelliguntur interdictæ Cappellæ omnes illius Eccleſiæ, Cæmeterium contiguum, non tamen interdicta Cappella cenſetur interdicta tota Eccleſia, quia totum comprehendit partes, non autem pars totum.

Interdictum perſonale generale eſt illud, quo interdicitur generaliter Populus totius Regni, vel Provinciæ, vel Civitatis, vel Villæ, vel Caſtri.

Speciale vero, ſeu particulare eſt, quo interdicitur aliqua Perſona particularis, aut plures alicujus Communitatis.

Interdicto Clero alicujus Civitatis, vel loci, non cenſentur interdicti Religioſi. Ratio eſt,

eſt, quia Religioſi licet in favorabilibus veniant nomine Cleri, non tamen in odioſis: Tum quia ſi interdicantur Religioſi, non cenſentur interdicti Clerici, quamvis Clerici lato modo dicantur Religioſi, ergo a pari quando interdicuntur Clerici, non cenſentur interdicti Religioſi.

Interdicto Populo, non intelligitur interdictus Clerus, & e contra. Ratio eſt, quia Populus abſolute prolatus ſolet diſtingui a Clero, & accipi pro Laicis.

Interdicta tamen aliqua familia, cenſentur etiam Clerici illius familiæ interdicti, quia cum tale interdictum ſit Perſonale ſpeciale, afficit ſingulas Perſonas illius familiæ, ac per conſequens etiam Clericos, qui ſunt de tali familia; ita quod ſi unus de tali familia poſt latum interdictum recedat, adhuc remanet interdictus. Secus autem de illo, qui poſt latum interdictum ſit de familia interdicta, hic enim non afficitur interdicto, quia cenſura ſolum afficit illos, contra quos fertur.

Dices contra hoc: ſi quis fiat pars Communitatis interdictæ, ut accidit, quando quis transfert domicilium ad eum locum, in quo Populus eſt interdictus, ſubjacet interdicto, ergo etiam ille, qui ſit de familia interdicta, afficitur interdicto.

Sed contra, concedo antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia interdictum familiæ alicujus eſt ſpeciale; interdictum vero communitatis eſt generale. Intereſt autem hæc differentia inter utrumque, quod generale latum in communitatem afficit ſingulas perſonas, tanquam partes conſtituentes illam communitatem, & ideo qui recedit a communitate interdicta, cum deſinat eſſe illius pars, deſinit eſſe interdictus, & qui accedit,

cum fiat illius pars, afficitur interdicto: at interdictum ſpeciale, ut eſt interdictum alicujus familiæ, non afficit perſonas illius familiæ, quatenus conſtituunt unam communitatem, & familiam, ſed afficit ſingulares perſonas illius familiæ, ſecundum ſe, & ideo qui recedit, remanet interdictus, & qui accedit, non afficitur interdicto.

Interdicto Populo Civitatis, intelliguntur etiam interdicti habitatores in ſuburbiis, ſi ſint de Populo Civitatis, & pars illius, ſecus autem, ſi ſecus.

Cives Civitatis interdictæ, qui abſunt, dum fertur interdictum, cenſentur & ipſi interdicti, quia ſunt pars communitatis interdictæ.

Si vero actu habeant Domicilium alibi, aut alio transferant domicilium, deſinunt eſſe interdicti, eo quod deſinant eſſe pars illius communitatis, & Populi, modo ipſi non dederint cauſam culpabilem interdicto. Sicut etiam ex oppoſito, qui non ſunt interdicti, evadunt interdicti, ſi fiant concives Populi, & communitatis interdictæ. Conſentaneum enim eſt, ut pars ſubjaceat oneri, & gaudeat libertate totius, cujus ſit pars.

Per interdictum generale perſonale latum contra aliquam communitatem intelliguntur interdictæ ſingulæ perſonæ, etiam innocentes, quæ ſunt partes illius communitatis; niſi aliquæ a Judice excipiantur, vel aliqua ſit excepta per privilegium. Ratio hæc eſt, quia interdicitur communitas, ut non poſſit audire Divina officia, recipere Sacramenta, & ſepeliri, ſed hæc ſunt propria ſingularum perſonarum, non autem communitatis ut ſic; ergo per interdictum latum contra communitatem intelligitur latum contra ſingulas perſonas illius communitatis.

Utrum

Utrum autem ipſe Epiſcopus, qui poſuit interdictum, includatur in interdicto.

Dicendum, interdicto perſonali non includi, non enim poteſt ſe ipſum ligare interdicto, cum non habeat juriſdictionem coactivam in ſe ipſum.

Interdicto autem locali includi etiam ipſum, qui fert interdictum. Ratio eſt, quia quamvis ſit ei liberum ferre, & non ferre interdictum, tamen ſemel poſito interdicto locali, etiam ipſe tenebitur ſervare de jure communi, in quo non poteſt inferior Pontifice diſpenſare, ſicuti poſito, quod Epiſcopus aliquem excommunicaverit, non poteſt cum eo communicare, quia communicatio cum excommunicato vitando prohibetur a jure communi, in quo non poteſt Epiſcopus diſpenſare per ſe loquendo.

Ex quo deducitur, Epiſcopum, qui aliquem locum interdixit, teneri abſtinere a divinis in eo loco ob rationem jam dictam.

Ad ferendum interdictum generale requiritur peccatum valde grave cum contumacia commiſſum a tota communitate, vel ſaltem a principalioribus illam repræſentantibus, quamvis alii ſint innocentes.

Ad interdictum autem perſonale particulare requiritur peccatum, & quidem mortale, & externum cum contumacia commiſſum ab eo, vel ab iis, contra quem, vel quos fertur.

Tempore interdicti poteſt adminiſtrari Sacramentum Baptiſmi, etiam ſolemniter, januis tamen Eccleſiæ clauſis, ne interſint ſpecialiter interdicti, & qui dederunt culpabilem cauſam interdicto.

Similiter etiam conferri poteſt Sacramentum Confirmationis, eo quia hoc Sacramentum

tum

tum pertinet ad quoddam complementum Baptiſmi.

Præterea etiam poteſt adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ cuicunque, non tamen ſpecialiter interdicto, vel reis criminis, ob quod eſt latum interdictum, niſi præmiſſa ſatisfactione Eccleſiæ debita, aut ſi periculum ſit in mora, ſaltem data prius idonea cautione ſatisfaciendi.

Eſt autem prohibita tempore interdicti communio laicalis, nempe ſumptio Euchariſtiæ more laicorum, niſi quis habeat ſpeciale privilegium, & tunc danda eſt ſolum verſantibus in periculo mortis, eo quia ſumptio Euchariſtiæ in tali periculo eſt de jure Divino, & deferri adhuc debet cum conſueta ſolemnitate. Nam preces illæ in delatione Euchariſtiæ ad infirmos non recitantur per modum Divini Officii, ſed ad modum Divinæ Laudis, qua Populus excitatur ad comitandam Euchariſtiam cum pia veneratione.

Prohibita eſt quoque tempore interdicti adminiſtratio Extremæ Unctionis, ſecluſo ſpeciali privilegio, quod forte quis haberet, & excepto caſu neceſſitatis, in quo non poſſit miniſtrari aliud Sacramentum præter Extremam Unctionem, & alioquin præſumatur infirmus interius diſpoſitus.

Nequit inſuper tempore interdicti conferri Sacramentum Ordinis.

Utrum autem liceat interdictis, aut tempore Interdicti localis contrahere matrimonium. Duplex eſt opinio, altera negans, altera affirmans. Illa, quæ negat, adducit pro ratione, quod quamvis matrimonium ſit contractus, eſt tamen etiam Sacramentum: atqui Sacramenta ſunt prohibita interdictis,

aut

aut tempore interdicti Sacramentis a jure expreſſis, cum ergo exceptio Sacramenti Matrimonii non ſit expreſſa in jure, ideo &c. Illa vero, quæ affirmat, affert pro ratione, quia hoc Sacramentum ſecundum ſubſtantiam non ab Eccleſia, ſed ab ipſis contrahentibus miniſtratur, ideoque &c.

Verumtamen in caſu celebrationis Matrimonii eo tempore, non eſſent dandæ benedictiones Nuptiarum.

Ex his habes, quorum Sacramentorum uſu privat interdictum, quorum non: tempore interdicti prohibetur uſus Divinorum Officiorum, taliter quod interdicti etiam ex culpa aliena, niſi aliquibus eſſet permiſſum ex ſpeciali privilegio, non poſſunt intereſſe Divinis Officiis, nomine quorum veniunt illa, quæ fiunt a Miniſtris Eccleſiæ ad ea ex officio deputatis.

Clerici autem, & Religioſi, quando ipſi interdicti non ſunt, debent adhuc tempore Interdicti, Miſſas, & Divina officia celebrare, ſed cum ea moderatione, quæ præſcripta eſt a Bonifacio VIII. in capite *Alma Mater*, videlicet, ſine ſono campanarum, ſine cantu, voce ſubmiſſa, januis omnibus Eccleſiæ clauſis, ut denotetur, tale tempus eſſe tempus viduitatis Eccleſiæ, & publici luctus.

Verumtamen in quibuſdam magnis feſtivitatibus, ut Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis Deiparæ, & in ſolemnitate Corporis Chriſti, & ejus octava permiſſum eſt, ut Divina publice, & ſolemniter celebrentur admiſſis etiam delinquentibus, qui dederunt cauſam Interdicto, dummodo iſti non appropinquent Altari; ſed longe ab eo ſeparentur, ut ipſi rubore ſuffundantur, & alii pertimeſcant.

Poſ-

Poſſunt inſuper eo tempore dici Litaniæ cum cantu, dummodo ſine Cruce, ſine ſuperpelliceo, & ordine procedendi, ne rationem præſeferant Divini Officii.

Interdictum privat Eccleſiaſtica ſepultura Perſonas interdictas, ſi eſt perſonale: ſi ſit locale, privat locum, reddens illum incapacem mortuos recipiendi.

Privari Eccleſiaſtica ſepultura intelligitur, non poſſe ſepeliri in loco ſacro, & cum pompa funerali Eccleſiaſtica. Nomine loci ſacri intelligitur Eccleſia, vel Cæmeterium ab Epiſcopo benedictum, vel locus, in quo Divina peragantur.

Intereſt hoc diſcrimen inter interdictum perſonæ, & interdictum loci, quod interdictum perſonæ privat perſonam ſepultura Eccleſiaſtica in quocunque loco ſacro, etiam non interdicto, quia interdictum perſonæ ſequitur perſonam ubicunque inveniatur. Interdictum vero loci, cum afficiat locum, privat quidem perſonam Eccleſiaſtica ſepultura in loco interdicto, non autem reſpective ad alium locum non interdictum. Ex quo ſequitur, quod tempore interdicti localis perſona, quæ non eſt perſonaliter interdicta, nec cauſam culpabilem dedit interdicto, poſſit ſepeliri in loco ſacro non interdicto.

Utrum autem habentes privilegium aſſiſtendi Divinis Officiis tempore interdicti poſſint ſepeliri in loco ſacro, ubi viget interdictum.

Reſpondetur affirmative, dummodo ſine pompa funerali Eccleſiaſtica. Ratio eſt, quia in privilegio duo conſiderari poſſunt, unum principale, aliud acceſſorium: principale eſt Divinum Officium, acceſſorium eſt ſepultura; qui ergo tempore interdicti habet privile-

gium

gium principale, ideſt Divini Officii, videtur etiam quod habeat privilegium acceſſorium, ideſt ſepulturæ. Tum quia cui communicamus vivo in Divinis Officiis, poſſumus etiam communicare defuncto in ſepultura. Idem juxta mitiorem, & benigniorem ſententiam eſt dicendum in iis Feſtivitatibus, in quibus permittitur intereſſe Divinis Officiis, quia conceſſo principali, cenſetur etiam conceſſum acceſſorium, exceptis tamen iis, qui cauſam culpabilem interdicto dederunt.

Utrum autem tempore interdicti generalis, ſive localis, ſive perſonalis, poſſint infantes ſepeliri in loco ſacro.

Reſpondetur negative; Ratio primi eſt, quia per interdictum locale locus fit incapax ſepulturæ cujuſcumque ſit cadaver, ſive adulti, ſive infantis; Ratio ſecundi eſt, quia quamvis cæteri effectus interdicti perſonalis generalis non afficiant infantes ob incapacitatem uſus rationis, effectus tamen particularis ſepulturæ, cum non reſpiciat uſum rationis, ſed cadaver, & hoc ſit ejuſdem rationis, ſive ſit adulti, ſive infantis, ſequitur, quod etiam infantes priventur tempore interdicti generalis perſonalis Eccleſiaſtica ſepultura.

Clerici tamen non interdicti, qui ſervaverunt interdictum, nec cauſam culpabilem interdicto dederunt, poſſunt tempore interdicti localis ſepeliri in loco Sacro etiam interdicto, modo id fiat ſine ſolemnitate, & ſono campanarum, & poſſunt ſepeliri, adhibito etiam Divino Officio, & Miſſa, ſubmiſſa tamen voce, & januis Eccleſiæ clauſis.

Nomine Clericorum hic intelliguntur non ſolum initiati aliquo Ordine, vel Tonſura, ſed etiam Religioſi, & Moniales, etiam No-

vitii, nam Religioſi in favorabilibus veniunt nomine Clericorum.

Perſona interdicta, ſi moriatur cum ſignis pœnitentiæ, & contritionis, poteſt ſepeliri in loco ſacro non interdicto; & antequam ſepeliatur, abſolvi debet a Cenſura interdicti, & ſic declarari capax Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Laicus tempore interdicti ſepultus in loco non ſacro, ſublato interdicto exhumandus eſt, & ſepeliendus in loco ſacro.

Laici violantes interdictum ſive perſonale, ſive locale peccant mortaliter, quia faciunt contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi. Non incurrunt tamen ipſi aliquam pœnam ob præciſam violationem Interdicti, quia nulla eſt in jure expreſſa, præter quam in Clementina, ubi ligantur excommunicatione Laici cogentes celebrari divina in Eccleſiis interdictis, aut prohibentes, ne interdicti exeant ab Eccleſia, dum ſacra peraguntur, admoniti a Celebrantibus exire, ſicut & ipſi interdicti, renuentes exire poſt habitam admonitionem.

Clerici autem tam ſæculares, quam Regulares ſcienter violantes Interdictum per exercitium alicujus Ordinis Sacri, ultra peccatum incurrunt Irregularitatem; niſi eos excuſet metus alicujus gravis damni incurrendi, incuſſus v. g. a Principe, quando tamen non ſit incuſſus in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, aut Fidei, vel Religionis, quia ſi ex circumſtantiis præſumeretur incuſſus in contemptum &c.; tunc certe non excuſarentur, & deberent inviolabiliter illud ſervare etiam cum periculo propriæ vitæ; nam bonum poteſtatis Eccleſiaſticæ, Fidei, vel Religionis præponderat bono proprio, & vitæ, & omnium terrenorum, ac per conſequens ad ipſius defenſio-

ſionem vita potius eſt profundenda, & terrena cuncta deſpicienda.

Ultra irregularitatem incurrunt etiam Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi violant Interdictum locale generale.

Religioſi non obſervantes interdictum Locale generale, quando ſervatur ab Eccleſia Cathedrali, aut Matrice Oppidi, vel Parochiali, incurrunt ipſo facto excommunicationem.

Epiſcopus celebrans in loco a ſe interdicto incurrit irregularitatem, niſi auferat Interdictum antequam celebret; & ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt impedire effectus Interdicti poſitos a jure communi, unus autem ex effectibus Interdicti eſt, ut violans Interdictum per exercitium Ordinis Sacri incurrat irregularitatem, ſicque &c:

Parochus interdictus aſſiſtens matrimonio, aut privatim baptizans, non ſit irrregularis, quia iſti non ſunt actus Ordinis Sacri. Bene vero ſi benedicit Nuptias, aut ſolemniter baptizat, vel etiam ſi ſolum ſupplet ſolemnitates baptiſmi, quia iſti ſunt actus Ordinis Sacri.

Tempore Interdicti haberi poteſt concio in Eccleſia admiſſis quibuſcunque, & dari poteſt cum campana ſolitum ſignum ad Populum convocandum, quia concio non pertinet ad Officia Divina, cum ſit quid ab iis diverſum.

Clerici ſcienter communicantes cum interdictis denuntiatis in iis rebus, in quibus ſunt interdicti, ut celebrando coram illis, vel illos ad Divina Officia admittendo, vel ad Sacramenta, vel ad Eccleſiaſticam ſepulturam, peccant mortaliter, & incurrunt pœnam Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfaciant ad arbitrium illius, qui tulit Interdictum. Idem dicendum de Religioſis. Ratio primi eſt, quia cooperans peccato alterius, peccat,

cat, ſed communicans &c., cooperatur peccato ipſorum, ergo peccat. Ratio ſecundi eſt, quia æquum eſt, ut ſit particeps in eadem pœna, qui eſt particeps in eodem peccato.

Interdicta localia, & perſonalia generalia, quæ jure communi ſunt impoſita, nec Papæ reſervata, poſſunt tolli ab Epiſcopo, vel alio habente juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in locum, & perſonas interdictas, non tamen a Religioſis quantumvis privilegiatis.

Ab Interdicto a jure in perſonam particularem, ſi reſervatum non eſt, poteſt abſolvere quilibet approbatus ad Confeſſiones.

Ab Interdicto autem ab homine poteſt tantum Superior, a quo eſt latum, vel ab eo Delegatus abſolvere.

Cui eſt conceſſum privilegium abſolvendi a Cenſuris, non intelligitur conceſſa poteſtas abſolvendi ab Interdictio locali, ſeu alicujus Communitatis, quia nec locus, nec Communitas interdicta ut communitas pertinet ad Forum Pœnitentiæ, ſed ad habentem juriſdictionem in foro externo.

Collige, Clericum interdictum nullum poſſe exercere Ordinem, quin cadat in irregularitatem.

C A P U T XII.

DE IRREGULARITATE.

IRregularitas eſt impedimentum jure Canonico inductum directe impediens Ordinum ſuſceptionem, aut eorum jam ſulceptorum uſum ob reverentiam divinorum, ſive eſt impedimentum ad ſuſcipiendos Ordines, & ad exercitium Ordinis ſuſcepti.

Hinc ut quis ſit capax Irregularitatis, debet

eſſe

eſſe capax Ordinum, quia nemo impeditur, niſi ad id, ad quod habet poteſtatem. Quapropter Fœmina non poteſt dici irregularis, cum ipſa non ſit capax Ordinum, ut alibi dictum eſt. Nec infidelis ante Baptiſmum dici poteſt Irregularis, eo quod ſit incapax Ordinum, cum non habeat Baptiſmum, qui eſt janua Sacramentorum.

Irregularitas primo dividitur in eam, quæ eſt ex delicto, & in eam, quæ eſt ex defectu.

Secundo dividitur in totalem, quæ inhabilitat ad omnia, ut irregularitas, quæ contrahitur ex delicto, ver. gr. homicidii; & partialem, quæ inhabilitat tantum ad aliqua, non ad omnia; ut ver. gr. cæcitas ſuperadveniens Sacerdoti, privat tantum exercitio celebrationis Miſſæ, non autem miniſterio ſuſcipiendi Confeſſiones, & Diaconus, cui abſque ſua culpa eruitur oculus ſiniſter, aut amputatur digitus pollex, inhabilitatur quidem ad aſcenſum Ordinis Sacerdotalis, non tamen ad exercitium Ordinis Diaconatus.

Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis; quia pœna debet proportionari delicto, cum ergo irregularitas, quæ ex delicto incurritur, ſit pœna graviſſima, non debet incurri niſi ob gravem culpam, alioquin non eſſet proportionata delicto.

Dixi ex delicto; nam ad incurrendam irregularitatem ex defectu, non videtur neceſſaria ulla culpa, ut patet ex multis irregularitatibus, quæ ex ſolo defectu abſque culpa contrahuntur, ut inferius conſtabit.

Item requiritur actus externus conſummatus; quia actus internus peccaminoſus, cum non ſubjaceat poteſtati Eccleſiæ, neque ſub-

jacet irregularitati ; requiritur ergo , quod prodeat ad actum externum , & quidem conſummatum, quia lex requirit factum ; unde ad incurrendam irregularitatem , quæ proveniat ver. gr. ex delicto homicidii , vel mutilationis , non ſufficit deſiderium , ſeu attentatum præciſe , ſed requiritur effectus ſecutus , nempe quod homicidium , vel mutilatio revera ſit patrata .

Irregularitas impedit ſuſceptionem Ordinum etiam primæ tonſuræ , ſicut etiam impedit Ordinum uſum, & officium . Verum tamen eſt , Ordines collatos irregulari , ſubſiſtere , ac validos eſſe , quia aliud eſt impedire , ſeu inhabilem reddere , & aliud facere incapacem , juxta illud Axioma . *Multa fieri prohibentur , quæ tamen facta tenent* . Tum quia nequit Eccleſia irritum facere Sacramentum , quando omnia concurrunt , quæ ſunt a Chriſto inſtituta ; ſecus autem dicendum de prima Tonſura ; hæc enim irritari poteſt ab Eccleſia , utpote pendens ab illius intentione:attamen non eam irritat jam collatam , conſequenter ſicut Ordo ſuſceptus ab irregulari tenet , ita etiam prima Tonſura .

Irregularitas , quando eſt totalis , impedit exercitium omnium Ordinum ſuſceptorum , quando vero eſt partialis , prohibet ſolum illum actum , cui ponit impedimentum , ut ſupra exemplificatum eſt .

Irregularis ſuſcipiendo Ordines , vel exercendo ſuſceptos , non incurrit novam irregularitatem , vel aliam pœnam , quia jura id non exprimunt , peccat tamen mortaliter , quia facit contra prohibitionemEccleſię in re gravi.

Irregularitas licet occulta facit incapacem Beneficii Eccleſiaſtici conſequenter collatio Beneficii facta irregulari eſt invalida , adeo

ut

ut non poſſit illud retinere. Ratio eſt, quia Beneficinm datur propter Officium, cum ergo Irregularis non poſſit fungi officio, eo quod ſit inhabilitatus ad uſum Ordinum, ſequitur, etiam ipſum eſſe inhabilitatum ad Beneficium. Unde petendo diſpenſationem ab irregularitate, debet mentionem facere de poſſeſſione illicita Beneficii, & curare ut illud ſibi denuo legitime conferatur ab eo, qui poteſt illud conferre, ſecus non poſſet illud retinere, etiam petita diſpenſatione ſuper irregularitatem.

Irregularitas autem, quæ ſubſequitur ad Beneficium obtentum, non privat ipſo facto Beneficiarium Beneficio, quia in corpore juris habentur verba futuri temporis, quæ indicant Beneficiarium in irregularitatem lapſum, non eſſe ipſo facto privatum, ſed privandum per Judicis ſententiam, aſſignata illi portione fructuum ſufficiente ad congruam ſuſtentationem, quando aliunde non habet, ne cogatur mendicare contra honeſtatem, & decentiam ſtatus Clericalis, ut etiam alibi dictum eſt.

Irregularis eſt incapax habendi juriſdictionem ordinariam, non autem delegatam. Quia juriſdictio ordinaria competit propter Beneficium, officium, & titulum ſpiritualem ordinatum ad functiones Ordinum, ſed Irregularis eſt incapax acquirendi Beneficium, ut dictum eſt; ergo eſt incapax etiam acquirendi juriſdictionem ordinariam, quæ conſequitur officium, & beneficium: Non eſt tamen incapax habendi juriſdictionem delegatam, eo quod iſta non fundetur in beneficio, nec conferatur ratione beneficii.

Hinc Irregularis eſt incapax excipiendi juriſdictionem ordinariam Fori Pœnitentiæ, quia hæc juriſdictio confertur per Beneficium: ſicut ergo hujus eſt incapax, ita & illius. Juriſdi-

ctionem vero delegatam poteſt valide accipere, quamvis non poſſit eam licite exercere, & graviter peccat eam exercendo, quando illius exercitium conjunctum eſt cum uſu Ordinis Sacri, qui interdicitur irregulari, ut eſt jurisdictio delegata abſolvendi ſacramentaliter.

Qui obtento Beneficio lapſus eſt in irregularitatem, poteſt actus juriſdictionis, qui non includunt exercitium Ordinis, exercere non ſolum valide, ſed etiam licite, unde poteſt fungi Officio Beneficii, excepto uſu Ordinis Sacri; nam per irregularitatem non amittit ipſo facto Beneficium, nec impeditur exercere actus juriſdictionis non includentes exercitium Ordinis Sacri, ut patet ex ipſa definitione irregularitatis. Quamobrem Parochus irregularis poteſt matrimonio aſſiſtere, non autem ſolemniter benedicere, quia hic eſt actus Ordinis, non autem ille, ut alibi dictum eſt.

Hinc ille, cui competit ex officio juriſdictio ordinaria Fori Pœnitentiæ, incidens in irregularitatem, quamvis non poſſit ipſe licite ſacramentaliter abſolvere, poteſt alteri facultatem abſolvendi delegare, quia delegatio non eſt actus Ordinis, ſed juriſdictionis. Ob eandem rationem Superior irregularis poteſt excommunicare ſubditum, & eum abſolvere a vinculo excommunicationis, quia actus excommunicandi, ſicut & abſolvendi ab excommunicatione pertinet ad juriſdictionem.

Utrum autem confeſſio facta extra caſum neceſſitatis Sacerdoti irregulari ſit valida.

Reſpondetur cum diſtinctione, vel Sacerdos eſt nominatim denuntiatus irregularis, vel non: ſi primum, confeſſio non eſt valida, quia irregularis nominatim denuntiatus dicitur vitandus in iis actibus, quos illi prohibitum eſt exercere. Tum quia pœnitens ponit obicem

ad

ad gratiam, cooperando peccato Sacerdotis exercentis functionem Ordinis contrà pœnam irregularitatis. Si vero ſecundum, confeſſio eſt valida, eo quod ille Sacerdos non caret juriſdictione, & quamvis ipſe graviter peccet, ſi ſponte ſua ſe ingerat, non peccat pœnitens communicando in eo actu cum irregulari, qui non eſt nominatim denuntiatus irregularis.

Utrum etiam ſit valida abſolutio Sacramentalis collata a Parocho, vel alio Confeſſario nominatim denuntiato irregulari, quem pœnitens ignorabat, eſſe irregularem denuntiatum.

Reſpondetur, validam eſſe, quia nihil deeſt pertinens ad validitatem nec ex parte pœnitentis, cum ſupponatur diſpoſitus, nec peccet participando cum irregulari, quem ignorat irregularem, neque deeſt aliquid ex parte ipſius Sacerdotis, cum habeat poteſtatem Juriſdictionis, quam non tollit irregularitas. Tum quia irregularis obtinens diſpenſationem irregularitatis, non indiget nova conceſſione juriſdictionis.

CAPUT XIII.

DE IRREGULARITATE EX DELICTO.

IRregularitates ex delicto provenientes, plures enumerantur.

Prima eſt, quæ provenit ex infamia contracta ob delictum, cui eſt impoſita a jure Canonico, vel Civili nota infamiæ. Delicta, quibus eſt annexa infamia a jure efficiens hominem irregularem, & inhabilem ad Ordines ſuſpiciendos, & ad exercendos ſuſce-

ptos, ſunt illa, quæ in utroque jure ſunt expreſſa; & ut inducant infamiam, oportet, quod ſint notoria, vel per ſententiam Judicis, vel per notorietatem facti, vel per ipſam confeſſionem delinquentis in judicio factam. Irregularitas hæc perſeverat, quouſque perſeverat infamia, qua ablata, tollitur irregularitas ex ea conſurgens.

Infamia, ſi quæ fuit contracta ob delictum patratum ante Baptiſmum, tollitur per ipſum Baptiſmum, quia per Baptiſmum quis efficitur nova Creatura cum ablatione omnis reatus tam culpæ, quam pœnæ, ſicque tollitur etiam omnis infamia, ſi quæ fuerit contracta.

Additur alia ſpecies infamiæ facientis irregularem, & eſt infamia, quæ contrahitur per ignominioſam profeſſionem alicujus artis, reddentem hominem vilem, & indignum, qui ad Ordines, & Beneficia Eccleſiaſtica promoveatur.

Secunda irregularitas ex delicto conſurgens eſt illa, quæ provenit ex culpabili iteratione Sacramenti Baptiſmi, adeout evadat irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus ipſe, ſi ſit adultus, & concurrat ad ſcelus tam grande. Hæc autem irregularitas incurritur ſolum ex culpabili reiteratione Baptiſmi, non autem Confirmationis, & Ordinis, quamvis & iſta nequeant reiterari, quia jura exprimunt ſolum irregularitatem ex delicto reiterationis Baptiſmi, non autem aliorum Sacramentorum imprimentium Characterem. Eſt enim principium in materia de irregularitate ſatis vulgatum, quod hæc non incurratur, niſi ſit in jure expreſſa. Et fortaſſe ratio differentiæ eſſe poteſt facilitas longe major in iteratione Baptiſmi, quam Con-

fir-

firmationis & Ordinis, eo quod Baptiſmus a quocunque: Confirmatio vero, & Ordo non niſi ab Epiſcopo queat miniſtrari: Tum etiam ne facile vertatur in dubium Sacramentum Baptiſmi, & conſequenter omnia alia Sacramenta eſſentialiter ſupponentia quoad ſui valorem Sacramentum Baptiſmi, non ſine magna confuſione in Eccleſia, propterea ad tollendum tantum inconveniens, jure proviſum eſt de remedio irregularitatis incurrendæ in culpabili reiteratione Baptiſmi.

Adultus, qui inter Chriſtianos natus differret ſuſcipere Baptiſmum uſque ad ægritudinem, vel ſenectutem, incurreret irregularitatem, quia eſſet præſumendus non bene affectus erga fidem, & Chriſtianam Religionem, propterea indignus ad Ordines promoveri; nec iſta irregularitas tolleretur per ipſum Baptiſmum, quia cum incurratur per ipſam ſuſceptionem Baptiſmi dilatam, per eam non poteſt tolli; ſecus idem eſſet cauſa oppoſitorum, quod repugnat.

Inſuper incurreret irregularitatem adultus, qui ſcienter, & extra caſum neceſſitatis Baptiſmum ſuſciperet ab Hæretico, quia hoc in jure eſt prohibitum ſub pœna irregularitatis; ſecus autem ſi ex ignorantia, aut ex neceſſitate.

Tertia irregularitas oritur ex delicto Ordinis, & hæc dupliciter; primo, quando quis excommunicatus excommunicatione majori, aut ſuſpenſus, vel interdictus, etiam occultus & toleratus, exercet in officio actus proprios alicujus Ordinis Sacri, niſi excuſet vel neceſſitas gravis, vel vitatio infamiæ, aut ſcandali, vel ignorantia, vel inadvertentia, aut oblivio taliter quod excuſetur a

mortali, quia ſi excuſaretur a mortali, excuſaretur etiam ab irregularitate.

Secundo quando Clericus ſe temere ingerit in Ordine, quem non habet illum tanquam ex officio exercens, ac ſi eſſet ipſo inſignitus. Unde Clericus, qui non ſit Sacerdos, excepto Diacono, fit irregularis, miniſtrando ſolemniter Baptiſmum, etiam in extrema neceſſitate, quia exercet actum proprium Sacerdotis, proprium enim Sacerdotis eſt Baptizare ſolemniter. Item fit irregularis fungendo munere Hebdomadarii in Choro, quod munus eſt proprium Sacerdotis, niſi bona fide id faciat, tunc enim non dicitur, ſe temere miſceri in Ordine, quem non habet,

Sacerdos Regularis ſe ingerens ſine licentia in officio Parochi, incurrit quidem excommunicationem, non autem irregularitatem, quia irregularitas non eſt lata contra exercentes actus juriſdictionis alienæ.

Parochus autem alienus jungens matrimonio non ſuos abſque licentia Ordinarii, aut proprii eorum Parochi, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem.

Quamnam autem pœnam incurrat Sacerdos, ſive ſæcularis, ſive Regularis audiens confeſſiones ſine approbatione Ordinarii, & Confeſſarius abſolvens temere a caſibus, a quibus non poteſt abſolvere ob ſpecialem reſervationem. Dico, incurrere ipſo facto in excommunicationem.

Quarta irregularitas contrahitur ex delicto hæreſis, adeo ut Hæretici, Apoſtatæ a fide, & eorum fautores, etiam ſi occulti, ſint irregulares. Item ſunt irregulares Religioſi profeſſi Apoſtatæ a Religione. Item

tem Filii Hæreticorum poſt hæreſim nati, ſunt irregulares uſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & uſque ad primam tantum per lineam maternam.

Hoc tamen intelligi debet, quando eorum parentes mortui ſunt in delicto hæreſis. Unde filii, & nepotes Hæreticorum poſſunt promoveri ad Ordines, quando ipſorum Parentes ante mortem fuerunt reconciliati Eccleſiæ, ad differentiam ipſorum parentum, qui irregulares remanent etiam poſt converſionem ad fidem, niſi diſpenſentur.

Quinta irregularitas oritur ex homicidio, vel mutilatione ob defectum lenitatis, quam debet habere Eccleſiaſticus ad imitationem manſuetudinis Chriſti, & hæc irregularitas extenditur ad omnes, qui mandant, conſulunt, aut aliquo modo ſunt cauſa homicidii, vel mutilationis, ſcilicet ſeparationis alicujus membri a corpore; ſi enim membrum non abſcindatur, ſed tantum debilitetur, irregularitas non incurritur, etiam ſi illud membrum reddatur inhabile ad proprium exercitium.

Nomine membri intelligitur illa pars hominis, quæ habet officium proprium, diſtinctum ab illis partibus, ut manus, pes, oculus &c. non autem digitus, qui membrum non eſt, ſed pars membri. Unde ad irregularitatem ex mutilatione requiritur amputatio alicujus membri proprie dicti, non autem ſufficit amputatio partis ipſius membri, ſic in rixa præſcindens ab aliquo digitum pollicem, unguem, carpens barbam, capillos, aut excæcans aliquem, privando viſu, non autem eruendo oculum, irregularis non fit, quia verum non mutilat membrum.

Qui graviter aliquem vulnerat cum magna ſanguinis effuſione, ſi mors ex tali vulneratione non ſequatur, non eſt irregularis, quia nullo membro privat.

Qui potionem dat mulieri gerenti fœtum in utero ad effectum, ut abortiatur, & fœtus ſit animatus, fit irregularis abortu ſecuto, quia vere eſt occiſor; ſi autem fœtus nondum ſit animatus, non eſt irregularis, ſicuti nec eſt irregularis mutilans mortuum.

Mandans homicidium, ſi revocavit mandatum, & illius revocatio innotuit Mandatario ante ſecutum homicidium, ſi hoc patratur, non incidit in irregularitatem, quia homicidium in tali caſu totum tribuitur malitiæ Mandatarii: ſecus autem de conſulente, quando tamen conſilium eſſet datum illi, qui non erat paratus ad occidendum. Et ratio diſparitatis eſt, quia mandatum totum eſt in gratiam mandantis, conſilium autem in gratiam conſulti, propterea mandans, ſi revocet mandatum, & oſtendat executionem mandati non fore ſibi gratam, nil habet influere in homicidium, ſi hoc patretur, ideoque non erit ei imputandum, ſed ſolum malitiæ Mandatarii tribuendum. At conſulens revocato conſilio adhuc non tollit, quin influat in homicidium, ſi hoc patretur, eo quod conſultus moveatur verbis conſulentis ad ipſum patrandum, & ideo conſulens adhuc cenſetur reus talis homicidii, ac per conſequens etiam irregularitatis. Ita ſentit Bonacina cum quibuſdam; attamen non deſunt alii, qui ſuſtinent, quod quando conſulens revocavit conſilium, & fecit quantum potuit ad tollendum moralem influ-

flu-

fluxum , & impediendum effectum , non incurrit irregularitatem , ſi qui fuit conſultus, non acquieſcat, & nihilominus occidat, tunc enim dicunt, homicidium malitiæ conſulti , non conſulentis perſuaſioni eſſe tribuendum.

Conſiliarii Principum quicunque ſint , ſive Laici , ſive Eccleſiaſtici in condendis legibus, pœnam capitis ſtatuentes malefactoribus, non fiunt irregulares ; non enim intendunt, homines trahere ad mortem , ſed retrahere a delictis , quod munus ac officium exercere bonum eſt.

Qui voluntarie non impedit homicidium, ad quod impediendum tenetur ex juſtitia, incurrit irregularitatem , ſecus ſi ex ſola charitate teneatur, non ex juſtitia.

Si quis autem putans, mihi facturum rem gratam, occidendo, & me inſcio ipſum occidat, ſi poſtmodum ego ſciens, approbem, & ratum habeam tale homicidium, non incido in irregularitatem, quia iſta ratihabitio , cum ſit poſterior ad homicidium jam factum, non poſſum illud cauſare, cum implicet actum agere.

Utrum qui dat operam alicui rei , ex qua contingat alterius homicidium , fiat irregularis.

Reſpondetur , dantem operam rei ſive licitæ, ſive illicitæ non periculoſæ ex ſe, eventu homicidii alicujus adhibita debita diligentia in tali actione , ne ſequatur homicidium, ſi hoc ſequatur , non fieri irregularem. Ratio eſt , quia irregularitas ex homicidio caſuali non incurritur, niſi conſecutio homicidii ſit voluntaria ſaltem in cauſa , & imputabilis ad culpam , ſed quando eſt adhibita debita diligentia ad

illud vitandum, ſi ſequatur, conſecutio illius eſt omnino involuntaria, nec imputabilis ad culpam, ergo neque ad irregularitatem. Tum quia adhibita debita diligentia, ſi mors, vel mutilatio ſequatur, ſequitur omnino caſualiter, ideoque omnino involuntaria, & abſque culpa.

Dixi: non periculoſæ ex ſe, quia ſi detur opera rei illicitæ periculoſæ, ex qua mors ut plurimum ſequi ſoleat, incurritur irregularitas ſecuta morte; quia tunc mors ſecuta cenſetur voluntaria ſaltem in cauſa, & non omnino caſualis, adeoque imputabilis ad culpam, & ad irregularitatem.

Nec valet, ſi dicatur periculum tolli, & purgari per ſufficientem diligentiam, quæ facit, quod homicidium, quod ſequitur, cenſeatur omnino involuntarium, & caſuale; non valet, inquam, quia revera non cenſetur ſufficiens diligentia adhiberi, ne ſequatur mors, quoties datur opera rei illicitæ periculoſæ, ex qua mors ut plurimum ſequi ſolet, ergo periculum in eo caſu non tollitur, neque purgatur quantacunque diligentia adhibeatur, ſicque &c.

Ex dictis plura deducuntur; primo, qui deſerviens infirmo, eum caute vertit in eodem lecto, vel transfert diligenter de uno lecto ad alium, vel porrigit ei cibum a Medico non prohibitum, non fit irregularis, ſi ex his actionibus infirmus moriatur. E contra, qui porrigit, aut conſulit, aut tradi mandat aliquid infirmo contra Medici præceptum, afficitur irregularitate, quoties infirmus ex illius rei traditione perit, aut notabiliter ipſius mors

ac-

acceleratur, quia exercet opus illicitum periculoſum homicidii.

Secundo, qui mandat alterum percuti, etiam ſi expreſse imponat mandatario, ne letaliter vulneret, afficitur irregularitate, ſi mors, vel mutilatio ſequatur, quia opus mandatum eſt illicitum, & periculoſum occiſionis, vel mutilationis.

Tertio, Magiſter verberans Diſcipulum cum exceſſu, & non adhibita debita diligentia, ne ſequatur mors, vel mutilatio, fit irregularis, ut accidit quando vel projicit aliquid in caput, unde illi eruat oculum, vel quando vehementi calce ventrem illius purcuit, & inde mors ſequitur.

Quarto, eſt Irregularis, qui tenens ſine debita cautione infantem in lecto inter dormiendum illum ſuffocat, quia voluntarie operam dedit rei illicitæ periculoſæ mortis infantis, non adhibita debita cautione ad eam præcavendam.

Quinto, fit Irregularis, qui reficiendo tectum, proiicit tegulam, ex qua occiditur viator, niſi monuerit prius, vel ſignum de more expoſuerit, quia in tali actione periculoſa non cenſetur adhibuiſſe ſufficientem diligentiam ad præcavendam alterius mortem.

Sexto, eſt Irregularis, qui uſus eſt cum muliere prægnante ſaltatione immoderata, ex qua ſecutus eſt abortus fœtus animati. Idem dic de illam percutiente abortu ſecuto ex percuſſione, quia dedit operam actioni illicitæ, & periculoſæ abortus abſque ſufficienti diligentia ad abortum præcavendum. Idem dicendum de eo, qui copulam habet cum muliere prægnan-

gnante abſque debita cautione, ſi mors fœtus animati inde ſequatur.

Septimo, eſt irregularis, qui etiam ſi per jocum terrorem incuſſit alteri, eſtque cauſa, ut ille eo terrore commotus, & perterritus ſe det præcipitem, & moriatur. Idem dicendum de perterrefaciente mulierem prægnantem, quam ſciat eſſe talem, ſi ex eo terrore ſequatur abortus fœtus animati, ut patet ex ſæpius allata ratione.

Octavo. Eſt irregularis, qui domi belvam ferocem nutrit, eam tenens a vinculis ſolutam; ut incaute accedentes occidat, aut mutilet; ſecus autem ſi diligenter eam cuſtodiat, & abſque ipſius culpa ſoluta aliquem occidat.

Non eſt irregularis Medicus, vel Chirurgus exercens chirurgiam, vel medicinam ſecundum regulas artis, etiam ſi membrum aliquod abſcindat cauſa conſervandæ vitæ infirmi, quia in hujuſmodi abſciſſione, vel exercitio non deeſt lenitas, vel manſuetudo, cum abſcindatur pars, ut totum ſervetur incolume.

Dixi ſecundum regulas artis; nam ſi ex aliqua imperitia Medici, vel Chirurgi mors ſequatur, incurritur irregularitas ex delicto; cenſetur enim cauſa injuſta mortis infirmi.

Ex quo ſequitur, Medicum, cujus culpa ægrotus interiit, non poſſe ad Ordines promoveri. Secus ſi nulla ipſius culpa mortuus eſt.

Qui curam habent infirmorum, ſi eam culpabiliter negligunt, ut mortem iis accelerent, ſunt irregulares; ſecus autem ſi convenienti providentia, & abſque notabili negligentia ſe geſſerunt.

Me-

Medicus habens remedium certum, ſi adhibeat dubium relicto certo, peccat, & fit irregularis ſecuta morte infirmi, nam imprudenter agit in re tanti momenti; ſi vero nullum habeat remedium certum, & adhibeat remedium, quod prudenter judicat melius, & opportunius juxta probabiliorem ſententiam Medicorum, ſi eo adhibito mors infirmi ſequatur, non fit irregularis, eo quod prudenter egerit.

Quid de Clericis, præſertim conſtitutis in ſacris, exercentibus chirurgiam, vel medicinam, an fiant irregulares.

Reſpondetur, ſi exerceant ſecundum regulas artis ſine abſciſſione, vel aduſtione, videlicet non abſcindendo, neque adurendo, non fieri irregulares, quia jure ſolum iis prohibitum eſt ſub mortali, & ſub irregularitate mederi cum abſciſſione, vel aduſtione, niſi ad eam obliget lex charitatis in caſu urgentis neceſſitatis, ut verbi gratia tempore peſtis, quando non adeſſet alius, qui munus hoc medendi cum abſciſſione, vel aduſtione præſtaret, præter Clericus peritus in arte; in tali, inquam, caſu immunis eſſet ab irregularitate, cum opus pietatis, & miſericordiæ exerceret lege charitatis debitum.

Hinc Clericus, qui ſecundum peritiam artis conſuleret, ac etiam juberet abſciſſionem, vel aduſtionem circa ægrotum faciendum, non fieret irregularis, etiam ſi mors inde ſequatur, quia in materia pœnali non eſt facienda extenſio, niſi ſit in jure expreſſa: atqui in jure prohibente Clericis inciſionem, vel aduſtionem,

non exprimuntur Conſulentes, ac jubentes; ergo ad iſtos non debet juris prohibitio extendi.

Nec inſuper incurreret irregularitatem Clericus adjuvans Chirurgum ad abſcindendum juxta regulas artis membrum alicujus ægroti infectum. Quia Chirurgus, qui ſecundum artis peritiam abſcindit, nullam incurrit irregularitatem, ergo nec eam incurrit Clericus adjuvans, vel cooperans, cum non ſit ſpecialiter prohibitum Clerico adjuvare, ſicut prohibitum eſt per ſeipſum abſcindere.

Sed dices; qui cooperatur juſtæ ſententiæ mortis, vel mutilationis ſit irregularis; ergo etiam ſit irregularis Clericus cooperans abſciſſioni factæ a Chirurgo.

Sed contra: conc. antec. nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia Judex præſefert neſcio quid crudelitatis, cum mutilet in vindictam, & pœnam delinquentis, & ideo eſt irregularis ob defectum lenitatis, quatenus non ſequitur, nec imitatur manſuetudinem Chriſti. Quæ vero agit Chirurgus juxta præſcriptum artis, potius agit ex pietate ob ſalutem ægroti ad conſervandam ejus vitam, proinde Eccleſia juſte ſtatuit irregularitatem Judici, & ejus cooperatoribus ob defectum lenitatis, non vero illam impoſuit Chirurgo artem ſuam, & officium exercenti ſecundum regulam artis, vel ejus cooperatoribus.

Homicidæ omnes, vel mutilatores tam juſti, quam injuſti, qui non præſeferunt manſuetudinem Chriſti, nec repræſentant Chriſtum authorem pacis, ſed po-

potius repræſentant quandam crudelitatem, ipſoſque Chriſti Crucifixores, ſunt omnes irregulares defectu lenitatis, quæ impedit Ordines ſuſcipere, & ſuſceptos exercere.

Ratio eſt, quia omnes Ordines ordinantur ad conficiendam Euchariſtiam, cum autem in Euchariſtia contineatur Chriſtus, qui eſt Author pacis, & qui ſanguine ſuo pretioſiſſimo pacem attulit; æquum eſt, ut Miniſtri Euchariſtiæ pacem, & manſuetudinem exemplo Chriſti præſeferant, & Chriſtum ipſum repræſentent, ac per conſequens repellantur ab Ordinibus ſuſcipiendis, & ab exercitio ſuſceptorum homicidæ, vel mutilatores tam juſte, quam injuſte.

Hinc quilibet Judex ſive Laicus, ſive Eccleſiaſticus inferior Summo Pontifice, ferens ſententiam mortis, vel mutilationis, ejuſque aſſeſſores, cooperatores, ſatellites, comprehendentes Reum, torquentes ipſum ad extorquendam veritatem; Notarius ſcribens, vel legens ſententiam, carnifex, & omnis alius præſtans aliquod, ordinatum ad ſententiæ executionem. Item accuſator, teſtis, & Advocatus contra reum, iſti omnes fiunt irregulares defectu lenitatis, ſecuta morte, vel mutilatione.

Epiſcopus autem, qui aliquem a ſe degradatum tradit brachio ſæculari, proteſtando, ſe non intendere ejus mortem, non fit irregularis, ſi poſtea a Judice ſæculari damnetur ad mortem, quia degradando non cooperatur ad mortem, ſed ſolum per degradationem oſtendit, ſe functum eſſe ſuo munere, conſequenter præmiſſa dicta proteſtatione non fit irregularis.

Ne-

Neque fiunt irregulares Inquiſitores Sancti Officii tradendo aliquos Judici ſæculari ad comburendos, etiam ſi nullam præmittant proteſtationem ex Bulla ſpeciali Pii V. Nam Inquiſitoribus ſolummodo prohibetur per ſe ipſos exequi ſententiam ſanguinis, non autem tradere delinquentes Judici ſæculari ad hunc effectum, ut eos morte puniat, aut comburat. Ob eandem rationem immunes ab irregularitate ſunt denunciatores, vel accuſatores, & Teſtes apud Inquiſitores, & Judices Eccleſiaſticos, nec tenentur in illo Foro facere ullam proteſtationem, quamvis prævideant futurum, ut reus poſtea tradatur Curiæ ſæculari, & morte puniatur.

Principes, vel Domini temporales, & etiam Prælati Eccleſiaſtici habentes juriſdictionem temporalem ratione Patrimonii, vel Beneficii, deputando miniſtros Juſtitiæ, qui cauſas ſanguinis inquirant, & delicta puniant, non fiunt Irregulares.

Quomodo autem ſe debeat gerere Prælatus peritus a ſuis Miniſtris deputatis, quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis circa aliquem particularem, & præſentem caſum.

Poteſt hoc modo reſpondere. Facite quod leges ſtatuunt, vel etiam in genere hoc modo: homicidæ pœna mortis puniantur, graſſatores viarum ſuſpendantur ſecundum leges. Et Prælatus hoc modo reſpondens nullam incurrit irregularitatem, cum hujuſmodi reſponſio non fiat in particulari caſu, inducendo ad hunc occidendum, vel mutilandum, ſed ſolum in genere declaret leges, & id, quod ſecundum leges faciendum eſt.

Confeſſarius Judici dicens, ſe non poſſe

ei impendere abſolutionem nolenti punire reum dignum morte, niſi firmiter proponat punire reum ſecundum leges, non incurrit irregularitatem, ſi generatim loquatur, & non determinate moveat ad condemnandum hunc in particulari; ratio eſt primo, quia hic caſus eſt a jure exceptus; ſecundo, quia Confeſſarius, cum non poſſit abſolvere pœnitentem, quem ſcit, eſſe indiſpoſitum, niſi reſipiſcat, poteſt ex officio dicere pœnitenti, ſe non poſſe abſolutionem ipſi dare, niſi faciat, ut firmiter proponat facere quod tenetur ex juſtitia; nec enim eſt credibile, Eccleſiam velle irregularitatis notam imponere Confeſſario exequenti munus ſuum, ut oportet, & non intendenti mortem rei, ſed potius volenti medicinam præbere pœnitenti ad ſalutem ipſius animæ.

Addo, poſſe etiam Confeſſarium abſque nota irregularitatis hortari Pœnitentem ad dicendam veritatem coram Judice competente, & eum legitime interrogante, etiam ſi prævideat, Reum ob confeſſionem veritatis puniendum eſſe pœna mortis; hortatur enim ad id, ad quod tenetur, ut fungatur officio ſuo, non intendens mortem, ſed ſalutem animæ ſuæ.

Adverto, differentiam inter Laicos, & Clericos ſive Monachos ſe ſe immiſcentes in cauſa juſta ſanguinis, hanc eſſe, quod Clerici, ſive Monachi peccant mortaliter; non vero Laici, quorum proprium eſt id munus, prohibitum ſolum ab Eccleſia Miniſtris Altaris.

Verumtamen poſſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ, ſicut & Laicales abſque nota irregularitatis conqueri coram Judice ſæculari de ma-

malefactoribus ſuis, querelas deponere, eoſque accuſare de injuriis tam ſibi, quam ipſorum conſanguineis illatis, indicia tradere, immo & capere, & Judici conſignare, facta tamen prius proteſtatione, ſe non intendere mortem, nec mutilationis pœnam, ſed ſolum defenſionem ſui, ſuarumque rerum, vel conſanguineorum, quamvis contra accuſatos procedatur a Judice ad pœnam mortis, vel mutilationis.

Interfectores, vel mutilatores in Bello tam juſto, quam injuſto ſunt irregulares, cum hac differentia, quod Bello juſto irregularitas, quæ contrahitur, eſt ex defectu perfectæ lenitatis, quæ vero in injuſto eſt ex delicto, & hæc afficit totum exercitum, quia omnes integrant unam cauſam moralem, cui imputantur homicidia in Bello injuſto ſecuta. In Bello autem juſto ſolum illi judicantur irregulares, qui occidunt, aut dubitant, occidiſſe; ita diſponente jure in favorem Belli juſti, & ne innumera hominum multitudo ligetur vinculo irregularitatis.

Clerici in Bello juſto adhortando milites generaliter ad victoriam, dummodo per ſe non occidant, nec hortentur ad occidendum aliquem in particulari, non fiunt irregulares, quia hoc modo ſe gerentes, non mortem, ſed quod juſtum eſt, & appetibile tanquam bonum, principaliter intendunt, ſcilicet Principis incolumitatem, Reipublicæ, ſeu Patriæ, ſuorumque defenſionem, ac liberationem; nec item fiunt irregulares præbendo arma in Bello juſto, modo non præbeant arma ad occidendum hunc, vel illum in particulari.

Clerici ſunt a jure irregulares, pugnantes

tes per ſe ipſos abſque facultate ſpeciali iis demandata. Chriſti enim militia, cui ſunt adſcripti, cruenta non eſt, qua propter nequeunt per ſe ipſos ſubire militiam temporalem, quæ cruorem ſpargit. Poſſunt tamen in aliquo caſu graviſſimæ neceſſitatis ad defendendam Rempublicam per ſe ipſos pugnare abſque nota irregularitatis. Non enim credibile eſt, Eccleſiam velle irregularitatis pœna afficere Clericos tempore tantæ neceſſitatis, quo tenentur jure naturæ.

Dixi, abſque facultate &c. nam de licentia, & mandato Pontificis pugnantes ſunt immunes ab irregularitate, quia non eſt veriſimile, Summum Pontificem velle Clericos per ſe ipſos pugnare, & pugnando ſubjacere irregularitati, quamvis cruorem ſpargant, & interficiant, cum ſine cruore, & occiſione non ſequatur pugna.

Quilibet injuſte invaſus, qui aliter vitam ſuam tueri non poteſt, quam occidendo injuſtum aggreſſorem, nullatenus incurrit irregularitatem, quia homicidium hoc non eſt voluntatis, ſed neceſſitatis ad defenſionem ſui, ipſo jure naturæ hoc dictante, modo tamen occiſio ſit facta adhibito moderamine inculpatæ tutelæ; ſi enim injuſte aggreſſus poteſt aliter tueri ſe, quam occidendo aggreſſorem; puta aut ſolum vulnerando, aut fugam capiendo non ignominioſam, & nihilominus occidat, erit irregularis, quia tunc occiſio eſſet cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, adeoque imputabilis ad culpam, conſequenter etiam ad pœnam irregularitatis. Unde ſi Clericus juſte aggreſſus poſſet ſe indemnem ſervare, effugiendo a manibus Aggreſſoris, ad id tenetur; non enim ex fuga redditur infamis ipſe

ſe Clericus, cum honor Clericalis menſurandus ſit ex manſuetudine, & imitatione Chriſti Domini, non vero ex fortitudine, & ſtrenuitate militari, & ſæculari.

Si quis accepto vulnere ab aggreſſore, eum fugientem occideret, irregularitatem incurreret, quia in actu fugæ ſui vulneratoris non eſt amplius in neceſſitate juſtæ defenſionis, unde illum occidendo, animo vindictæ id faceret.

Ubi noto, quod ut occiſio injuſti aggreſſoris ſit licita, & excuſet ab irregularitate, oportet quod fiat in ipſo actu aggreſſionis, quando ſcilicet alter moraliter inchoavit actum injuſtæ aggreſſionis, nec aliter ſe defendere poteſt, quam occidendo, vel mutilando. Secus autem ſi nondum fuit inchoatus, vel ſi jam ceſſavit.

Occidens furem actu invadentem propria bona, ut non poſſit aliter ea tueri, niſi occidendo invaſorem, non fit irregularis, ità Doctores communiter, quamvis aliqui contrarium ſentiant. Ratio eſt, quia irregularitas non incurritur occidendo ad defenſionem bonorum, quæ ſuo modo ſunt neceſſaria ad vitam, ſervato ſemper tamen moderamine. Tum quia irregularitas non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa, atqui irregularitas contra occidentem ad defenſionem rerum ſuarum cum moderamine, non eſt in Jure expreſſa, ergo &c.

Nec item occidens invaſorem proximi cum moderamine, irregularitatem incurrit: Ita communius Doctores, licet aliqui contrarium ſentiant. Quia ad incurrendam irregularitatem ob privatum homicidium, requiritur culpa homicidii; atqui in hoc caſu deeſt culpa homicidii, cum licitum ſit

vim

vim vi repellere non ſolum ad propriam defenſionem, ſed etiam ad defenſionem proximi, ergo &c. Tum quia percutiens vel occidens Clericum ad defenſionem proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit excommunicationem, ergo neque incurrit irregularitatem occidens aggreſſorem ad defenſionem proximi, ſervato moderamine &c. Valet enim in hoc caſu argumentum a ſimili, cum iſta irregularitas non incurratur ſine peccato, ſicut neque excommunicatio. Tum quia iſta irregularitas non eſt in jure expreſſa, ergo non eſt, cur debeat incurri.

Verumtamen quia in foro externo ſemper præſumitur contra occiſorem, non debet ad Ordines promoveri, vel ſuſceptos exercere, donec ab Epiſcopo, ad quem ſpectat ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium, teſte Suarez, tale judicium ferre, declaretur, cauſa rite examinata, homicidium neceſſitate juſtæ defenſionis ſui patratum eſſe, & moderamen ſervatum. Et quando eſſet opus diſpenſatione ad majorem cautionem, & ſecuritatem, ipſe Epiſcopus facultatem habet a Concilio Tridentino diſpenſandi in eo caſu, ſi forte irregularitas eſſet contracta.

Dixi in foro externo. Nam in foro conſcientiæ ſtandum eſt Judicio Doctoris, & prudentis viri, qui ſi judicet omnibus rite penſatis, non eſſe contractam irregularitatem, tunc aggreſſoris occiſor ob juſtam ſui defenſionem non tenetur abſtinere ab Ordinibus, vel ab ipſorum uſu.

CAPUT XIV.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU.

IRregularitates ex defectu plures enumerantur. Prima eſt ex defectu Animæ, ſe tenente ſcilicet ex parte Animæ, qualis eſt defectus uſus rationis, defectus litteraturæ ſeu ſcientiæ, defectus fidei.

Hinc amentes ob defectum uſus rationis, cum non poſſint Ordines exercere, ſunt inhabiles ad Ordines ſuſcipiendos, & conſequenter irregulares.

Illitterati etiam, ac ignari ſunt irregulares ob defectum ſcientiæ, ac litteraturæ requiſitæ ad decens Ordinum miniſterium; nam ad primam Tonſuram initiandus debet ſcire fidei rudimenta, ſcribere, & legere: ad Minores requiritur, ut calleat linguam latinam: ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut habeat inſtructionem eorum, quæ pertinent ad eos Ordines rite exercendos. Ad Presbyteratum, ut habeat eam ſcientiam, qua poſſit docere Populum, & adminiſtrare Sacramenta. Ad Epiſcopatum, ut ſit laureatus in Sacra Theologia, vel in Jure Canonico, vel ſaltem ut publico teſtimonio conſtet, ipſum eſſe idoneum ad alios docendos.

Neophyti ſunt irregulares ob defectum Fidei longo experimento probatæ, ut requiritur, ad hoc ut quis ſit idoneus Eccleſiæ Miniſter. Neophytus dicitur ille, qui in adulta ætate ex lege Judaica, vel Ethnica nuper converſus eſt ad Fidem Catholicam.

Unde a jure prohibetur ad Ordines promo-

moveri, *ne*, ut ait Apoſtolus ad Timotheum ſcribens: *in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli*. Nec obſtat exemplum divi Ambroſii, qui nuper converſus ad fidem, fuit ordinatus; non obſtat, inquam, quia id fuit factum ex impulſu Spiritus Sancti. Non ſunt computandi inter Neophytos Neophytorum filii ab infantia baptizati.

Secunda irregularitas eſt, quæ provenit ex defectu, vel vitio corporis. Ille enim defectus, ſeu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit uſum & exercitium Ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem. Quia æquitas ipſa naturalis dictat, eum ad Ordines, vel ad eorum uſum non eſſe promovendum, qui nequit Ordines exercere, aut horrorem ingerit adſtantibus.

Hinc cœci, ſurdi, claudi, carentes manu, vel pollice, aut indice, vel oculo ſiniſtro, qui dicitur oculus Canonis, & Eunuchi ſunt irregulares. Item Gibboſi gibboſitate conjuncta cum notabili deformitate. Monſtruoſi, Leproſi, morbo caduco laborantes, & paralitici: Item Dœmoniaci, quorum ſcilicet corpora ſunt a Dœmone obſeſſa. Hermaphroditi utriuſque ſexus participes, irregulares ſunt.

Verum defectus corporis, qui hominem reddit inhabilem ad uſum Ordinum, quamvis etiam reddat inhabilem ad illorum ſuſceptionem, attamen ſi ſuperveniat Ordinibus jam ſuſceptis, non ſemper reddit inhabilem ad illorum uſum. Unde amputatio Pollicis, vel Indicis, ſicut, & cœcitas oculi ſiniſtri reddit quidem inhabilem ad Sacerdotium ſuſcipiendum, tamen ſi Sacerdotio ſuperveniat jam ſuſcepto, reddit quidem in-

inhabilem ad celebrationem miſſæ, non tamen ad reliqua Sacerdotii munera.

Pariter qui ſuſcepto Sacerdotio evadit abſtemius, itaut non poſſit deguſtare vinum, poteſt uti Sacerdotio, ſecluſa celebratione. Si vero ante ſuſceptionem Sacerdotii ſit abſtemius, eo quod vinum non bibat, vel illud evomat, vel ex eo patiatur vomitum, non poteſt ad Sacerdotium admitti. Nam Sacrificium Miſſæ ſub utraque ſpecie peragi debet, non poteſt autem peragi ab abſtemio, propter periculum vomitus in ſumendis ſpeciebus vini, ideoque &c.

Tertia irregularitas provenit ex defectu natalium, nomine cujus intelligitur defectus legitimitatis in prole, cum ſcilicet hæc habeatur ex illicito concubitu. Unde illegitimi ſunt irregulares, quia reputantur viles, & ad vitia paterna valde proclives, & ideo a jure arceutur ab Ordinibus ob reverentiam divinorum.

Nati ex matrimonio non valido propter occultum impedimentum, reputandi ſunt tanquam legitimi, & ſunt capaces ad Ordines promoveri.

Item filii fornicationis per ſubſequens matrimonium legitimati. Itemque legitimati a Papa, non autem illi, qui legitimantur a Principibus ſæcularibus, quia Principes ſæculares, quamvis poſſint legitimare ſibi ſubditos quo ad honores, & officia ſæcularia, non tamen quo ad Eccleſiaſtica, vel ad Ordines, vel ad Beneficia quia quo ad iſta ſolus Papa poteſtatem habet legitimandi.

Expoſiti præſumuntur illegitimi, conſequenter irregulares. E contra quilibet natus ex matre conjugata, & cum viro ſuo

co-

cohabitante, cenſeri debet legitimus, donec contrarium manifeſte probetur.

Profeſſio Religioſa ex juris diſpoſitione propter excellentiam ſtatus, habilitat illegitimum ad Ordines, non tamen ad Prælaturam Religionis.

Quarta irregularitas ex defectu ætatis a Sacris Canonibus requiſitæ in ordinandis, adeo ut nequeat quiſpiam ante legitimam ætatem ad Ordines promoveri, jam alibi fuit expreſſa, unde ſuperfluum cenſeo hic repetere. Irregularitas hæc ex defectu legitimæ ætatis proveniens, ceſſat adveniente termino ætatis, vel ſaltem diſpenſante Pontifice.

Quinta irregularitas provenit ex defectu libertatis. Hinc primo ſervi ſervitute legali libertate penitus deſtituti, ſeu mancipia, qui ſic vocantur, ſunt irregulares, ideoque minime ordinandi, quia non decet, hujuſmodi ſervos ob vilem conditionem promoveri ad dignitatem Sacerdotalem, ne dignitas Sacerdotalis parvipendatur. Tum quia Clericus per ordinationem ſubit onus vacandi Eccleſiaſticis Miniſteriis, cum autem ſervus ſervitute legali, ſeu mancipium vacare nequeat hujuſmodi miniſteriis, propterea quando liber non eſt, non poteſt ad Ordines promoveri.

Hinc ſecundo ex defectu libertatis ſaltem perfectæ ſunt irregulares Curiales, qui ſcilicet inſerviunt ex obligatione Curiis Principum ſæcularium, ut ſunt Judices Advocati, Notarii, Milites, & alii quicunque Curiæ obligati, iſti enim, cum non gaudeant perfecta libertate, a jure repelluntur ab Ordinibus ſuſcipiendis donec abdicaverint officium, & fuerint ſoluti a tali obligatione.

Item

Item Feudatarii, qui feudo accepto, cum inſtrumento, & juramento ſe obligarunt inſervire perſonaliter Principi ipſorum Domino, repelluntur ab Ordinibus, donec vel Feudum reliquerint, vel facultatem a Domino directo impetrarint.

Item arcentur ab Ordinibus Advocati, & Judices, qui cauſas civiles agunt. Judices vero, qui cauſas criminales tractaverunt, ſunt ex alio capite irregulares, nempe ex defectu perfectæ lenitatis, ſi judicium ſanguinis exercerunt.

Inſuper obligati ad ratiocinia, ideſt ad reddendam rationem adminiſtrationis publicæ, vel privatæ, impediuntur, ne ad Ordines promoveantur, donec reddiderint rationem adminiſtrationis, & ſoluti ab hujuſmodi obligatione inveniantur.

Obligati ad reddendam rationem adminiſtrationis publicæ, ſunt Magiſtratus, Theſaurarii, aut Depoſitarii Æris publici. Obligati ad reddendam rationem adminiſtrationis rei privatæ, ſunt qui geſſerunt adminiſtrationem alicujus Perſonæ ſæcularis non miſerabilis, ut ſunt Tutores, Curatores, & Procuratores, & tam illi, quam iſti non debent ad Ordines admitti, niſi finito adminiſtrationis officio, & reddita ratione ipſius adminiſtrationis. Secus autem dicendum de iis, qui gerunt adminiſtrationem perſonæ Eccleſiaſticæ, vel perſonarum miſerabilium, ut viduarum, pupillorum, locorum piorum &c. de quibus non militat hoc impedimentum.

Ratio autem, quare jus induxit hoc impedimentum in obligatis ad ratiocinia, eſt, quia ob reverentiam divinorum non decet ad Ordines promoveri, qui negotiis ſæcu-

cularibus ſunt implicati. Tum quia præſumuntur confugere ad Eccleſiam, non amore inſerviendi Deo, ſed potius intentione fugiendi ratiocinia, ideoque &c.

Sexta irregularitas eſt illa, quæ conſurgit ex multiplici matrimonio contracto, & conſummato, nempe ex Bigamia, & hæc vocatur irregularitas ex defectu Sacramenti, quatenus Bigamia non habet perfectam Sacramenti Matrimonii ſignificationem. Nam Sacramentum Matrimonii ſignificat ſpirituale matrimonium, ſeu conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, teſte Apoſtolo ad Epheſ. 5. ubi ait. *Hoc Sacramentum magnum eſt, ideſt in Chriſto, & Eccleſia*: Matrimonium autem, ſeu conjunctio ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia, unica eſt, & unius cum una, conſequenter iſta ſpiritualis conjunctio non rite repræſentatur per matrimonium unius cum pluribus Feminis, ideſt per Bigamiam, & ideo Irregularitas ex ea conſurgens vocatur ex defectu Sacramenti; quapropter Bigamus jure arcetur ab Ordinibus. Tum etiam quia frontem non habet adhortandi alios ad viduitatem, & continentiam.

Bigamia eſt triplex, ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Bigamia vera eſt quando quis vere duas Uxores legitime duxit, & utramque carnaliter cognovit.

Interpretativa eſt, quando quis re vera non contraxit cum duabus, ſed ſecundum interpretationem Juris cenſetur contraxiſſe cum duabus: quod multiplici modo contingit; primo quando quis jam conjugatus, de novo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet affectu maritali, vel quando

unam Uxorem legitime habuit, cum qua conſummavit, & ea mortua aliam invalide duxit cum impedimento dirimente, copula ſubſecuta affectu maritali, vel quando duo matrimonia ſucceſſive contrahit invalide cum aliquo impedimento dirimente, conſummatis utriſque affectu maritali; ſecundo quando quis valide contraxit cum Vidua cognita a proprio Viro, & cum ea matrimonium conſummavit; tertio quando quis contraxit matrimonium cum Virgine, eamque cognovit, poſtquam illa adulterata eſt, ſive volens adulterata fuerit, ſive per vim, aut metum. Quolibet enim ex his modis conſurgat, contrahitur Bigamia; non quidem vera, & realis, ſed interpretativa, quia quantum eſt ex affectu contrahentis aliquo ex aliis modis, præſumitur a Jure, bis contraxiſſe, copula ſubſecuta animo maritali, & deeſt ſignificatio matrimonii ſaltem quantum eſt ex affectu contrahentis. Similitudinaria eſt, quando quis habens votum ſolemne Caſtitatis, audet cum muliere matrimonium contrahere, & habet cum ea copulam conſummatam, quia adſtrictus voto Caſtitatis ſolemni, cum ſit Deo matrimonio quodam ſpirituali ac puriſſimo conjunctus, ſi matrimonium carnale contrahit, copula conſummata, cenſetur celebrare duo matrimonia, non quidem vera, ſed ſimilitudinaria.

Bigamia nedum vera, ſed etiam interpretativa, & ſimilitudinaria inducit irregularitatem ex defectu ſignificationis unicæ conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

Unde ad Bigamiam duo requiruntur. Primo ut matrimonium contrahatur cum dua-

duabus, aut vere, aut interpretative, aut ſimilitudinarie; ſecundo requiritur copula perfecta, & conſummata intra vas debitum, qua ſecluſa, non contrahitur Bigamia. Nam matrimonium ratum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per gratiam, quæ unio multiplex eſt. Conſummatum vero ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, per Incarnationem, quæ eſt unica, & hæc eſt illa, quam non repræſentat matrimonium cum duabus conſummatum, & ideo Bigamiam inducit, & conſequenter irregularitatem.

Hinc multiplicitas matrimonii rati, nondum conſummati non inducit Bigamiam. Unde qui contrahit matrimonium cum Virgine, eaque mortua ante conſummationem matrimonii, novum matrimonium contraxit cum alia Virgine, & cum ea copulam conſummavit, non eſt Bigamus, quia hoc ſecundum matrimonium habet perfectam ſignificationem Sacramenti, cum carnis diviſio facta non ſit, ſicut neque eſt Bigamus, qui Uxorem duxit Viduam, quæ fuit relicta intacta a priori viro defuncto, ob eandem rationem.

Neque multiplicitas ſponſaliorum Bigamiam inducit, etiam ſi ſubſecuta ſit copula, quia ſponſalia cum copula non ſignificant conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, ſicut eam ſignificat matrimonium conſummatum.

Neque multiplicatæ fornicationes, vel adulteria ex parte viri ponunt Bigamiam, quia ad incurrendam Bigamiam non ſufficit quælibet copula ex parte viri, ſed requiritur quod copula habeatur cum his, cum quibus ma-

trimonium contrahitur ; matrimonium enim eſt illud, quod ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam non ſignificat fornicatio. Unde ille, qui poſt multas fornicationes cum aliis feminis, etiam viduis commiſſas, matrimonium contraxit, & conſummavit cum Virgine, non eſt Bigamus.

Quare autem Eccleſia ſtatuerit Bigamum, & irregularem eſſe illum, qui matrimonium contraxit, & conſummavit cum fœmina ab alio carnaliter cognita, non eſſe autem Bigamum eum, qui contraxit matrimonium cum Virgine conſummatum, licet ipſe ſæpius fornicatus ſit.

Ratio hæc eſt, quia defectus virginitatis in ſponſa arguit majorem indecentiam, quam in viro, cum ſit ignominioſum, ducere feminam fornicariam cognitam ab alio. Tum quia ſicut motus non ſpecificatur a termino a quo, ſed a termino ad quem, ita etiam matrimonium non ſpecificatur ab ipſo contrahente, qui ſæpius fornicatus eſt, ſed ab altero contrahente, ad quem terminatur, qui eſt femina, cujus caro ſæpius diviſa eſt. Unde ſi femina eſſet capax Ordinum, fieret Bigama, ducendo Virum fornicarium, ſicut ipſe vir fit Bigamus contrahendo, & conſummando matrimonium cum ea, quæ fuit ab alio carnaliter cognita, etiam ſi illam putaret Virginem, quia ignorantia non excuſat a Bigamia, cum non efficiat, quin caro illius fœminæ fuerit in plures diviſa.

Item ille Bigamus eſt, & irregularis, qui carnaliter cognovit ſuam Uxorem, poſtquam ipſa credens, Virum ſuum mortuum eſſe, contraxit bona fide, & conſummavit matrimonium cum alio, quia in eo caſu non

at-

attenditur culpa feminæ, ſed defectus ſignificationis, conſurgens ex diviſione carnis feminæ, quæ pluribus communicata eſt.

Inſuper qui accedit ad propriam Uxorem poſtquam ipſa adulterata eſt, licet ignarus de ejus adulterio patrato, fit Bigamus, quia hoc actu dividit carnem, & licet non ſit conſcius, ſed ignarus, hoc nihil refert, quia Eccleſia non attendit ad errorem, ſed ad factum. Immo etiam erit Bigamus, & irregularis, ſi poſt adulterium a ſua Uxore patratum, eam cognoſcat, Eccleſiæ præcepto coactus, quia adhuc ſequitur diviſio carnis, & deficit ſignificatio.

Verumtamen qui contraxit cum ea, quam ipſe defloraverat ante matrimonium, non eſt Bigamus, & Irregularis, quia iſte non dividit carnem, ſed eandem reperit matrimonio ſecuto.

Quæritur, utrum fidelis, qui in infidelitate ſæpius contraxit, ſit Bigamus, & Irregularis, ſuſcepto Baptiſmo.

Reſpondetur affirmative, quia Bigamia non tollitur per Baptiſmum. Baptiſmus enim tollit quidem delicta quo ad culpam, vel etiam quo ad pœnam a jure impoſitam delictis: at non tollit conjugia, & conſequenter non tollit Bigamiam ex conjugiis ab eodem habitis conſurgentem.

Nec obſtat dicere, quod cum Bigamia, & irregularitas ſit impoſita ab Eccleſia, non incurritur ab infideli, qui non eſt ſubditus Eccleſiæ legibus. Non obſtat, inquam, quia Bigamia non cadit ſupra infidelem pro tempore infidelitatis, ſed ſupra ipſum jam Baptizatum, nam Eccleſia hunc fa-

cit irregularem ob indicium incontinentiæ.

Clericus Bigamus ultra irregularitatem amittit privilegium fori, & Canonis, ſi ſit initiatus ſolum minoribus Ordinibus. Secus autem dicendum de Clerico Sacris initiato, qui cum debeat perpetuo manere in ſtatu Clericali, nec poſſit amplius ad ſtatum Laicalem tranſire, gaudere debet privilegiis Clericorum, ut habetur in Canone.

Summus Pontifex diſpenſare poteſt in omni irregularitate. Quia Summus Pontifex ſupremam in terris habet poteſtatem circa ea, quæ in jure humano Eccleſiaſtico inſtituta ſunt.

Epiſcopi autem ex facultate Concilii Tridentini poſſunt in propria Diæceſi tantum diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus omnibus, modo proveniant ex delicto occulto, & non deducto ad forum contenſionum, præterquam in irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario; ut patet ex Tridentino ſeſſ. 24. Cap. 6. ubi conceſſum eſt Epiſcopis tale privilegium cum dictis exceptionibus; & excepta inſuper irregularitate proveniente ex ſimonia in Ordine, vel Beneficio, in qua non poteſt Epiſcopus diſpenſare quamvis occulta, juxta diſpoſitionem Clem. VIII. in ſua Bulla, quæ incipit. *Romanum Pontificem*.

Nomine Epiſcopi venit Epiſcopus conſecratus habens juriſdictionem Epiſcopalem; non autem nondum conſecratus, & habens juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, juxta declarationem Congregationis Concilii.

An aliquo caſu Epiſcopus diſpenſare poſſit

ſit in irregularitate contracta ex homicidio voluntario. Dico, poſſe in his caſibus diſpenſare: Primo cum quis ad ſui defenſionem alterum occidit, exercendo moderamen inculpatæ tutelæ. Secundo quando nequit facile haberi recurſus ad Papam pro diſpenſatione obtinenda, & ex altera parte ſi ſit Sacerdos non celebrando, ſequeretur grave ſcandalum.

Prælati ſeu Superiores Regulares virtute privilegiorum poſſunt diſpenſare proprios ſubditos ab omni irregularitate quomodolibet contracta, præterquam in homicidio voluntario, aut præſtatione favoris, vel auxilii in eodem, & etiam præterquam in Bigamia, quibus adde ex dictis ſimoniam in ſuſceptione Ordinum, vel alicujus dignitatis in Religione.

CAPUT XV.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

IMmunitas Eccleſiaſtica quo ad locum; prout ſumitur in præſenti, eſt privilegium Eccleſiæ conceſſum a Jure Canonico, ut Rei ad eam libere confugientes, tuti ſint, nec inde poſſint per vim, aut dolum extrahi ſine violatione immunitatis.

Nomine Eccleſiæ, ſeu loci Sacri intelligitur materialis Domus, ſeu Templum auctoritate Epiſcopi fundatum, & cultui Divino ſimpliciter dicatum.

Hoc privilegium Immunitatis conceſſum Eccleſiis, ac locis Sacris plures parit effectus, qui in ſequentibus explicantur.

Primus effectus eſt, ut quis exiſtens in Eccleſia, quandiu eſt in ea, non poſſit capi a Poteſtate Laicali, neque ad hunc finem tradendi eum Poteſtati Eccleſiaſticæ, ut ab Epiſcopo declaretur, an debeat Eccleſiaſtica immunitate gaudere, ut colligitur ex Bulla Gregoriana, in qua cavetur, ne quis e loco Sacro extrahatur ſine expreſſa Epiſcopi, vel ejus Vicarii licentia, cum interventu Perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis.

Verumtamen Poteſtas ſæcularis abſque violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ poteſt extra locum Sacrum obſidere reum in Eccleſia exiſtentem, ad effectum illum capiendi, ſi forte in locum non Sacrum ſe transferat, cum in eo loco jus capiendi habeat.

Secundus effectus eſt, ut nullum apponatur impedimentum impediens, ne exiſtenti in loco Sacro deferantur alimenta, aliaque neceſſaria ad vitam, quia ſi non poteſt extrahi, neque poteſt eo modo impediri, ſecus cogeretur ſe ipſum tradere Poteſtati ſæculari, aut morti ſuccumbere, & conſequenter vanum, & inutile redderetur privilegium immunitatis. Ex quo deducitur, neque poſſe impediri, quin ab Eccleſia exeat ad corpus exonerandum, dummodo ſtatim revertatur.

Tertius effectus eſt, ut exiſtenti in loco Sacro nulla vis, aut damnum inferatur, neque impediatur, ut extra Eccleſiam per triginta paſſus ſecure exire non poſſit, ut ſancitum eſt in Concilio Toletano XII. Ex quo ſequitur, reum ibi exiſtentém non poſſe vinculis conſtringi, & ligari, neque re-

bus

bus ſuis, & bonis, quæ ſecum tulit in Eccleſia, ſpoliari. Quod ſi bona haberet injuſte acquiſita & ad Eccleſiam in præjudicium creditorum translata, poſſunt per Miniſtros Eccleſiaſticos ab eo auferri, & conſignari Judici ſæculari, ut creditoribus tradantur. Itemque ſi arma haberet prohibita, auferri poſſunt, & tradi Judici ſæculari. Sicut etiam ſi ſervus a ſuo Domino injuſte aufugit, illi eſt reſtituendus, obtento juramento ſeu ſecuritate a Domino, illum non offendendi; non tamen Dominus poteſt illum propria auctoritate extrahere.

Quartus effectus eſt, ut dum reus in Eccleſia exiſtit, nequeat a Poteſtate Laicali damnari ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, ut ad exilium, vel ad Triremes. Poteſt tamen puniri privando eum bonis, quæ poſſidet extra Eccleſiam, ſi citatus ſub pœna confiſcationis bonorum negligat coram Judice comparere, quia jura loquuntur ſolum de pœna corporali, ad quam non poteſt damnari, non autem de pecuniaria, ut eſt confiſcatio bonorum.

Quintus effectus eſt, ut per vim extractus ab Eccleſia, reſtituatur Eccleſiæ. Quia Judex tenetur injuriam Eccleſiæ illatam reparare, eam autem non reparat, niſi inique extractum reſtituat.

Quod idem ſentiendum etiam de ipſo Judice extrahente aliquem in caſibus in Bulla Gregoriana expreſſis, non ſervata forma præſcripta in eadem Bulla, quia adhuc Judex violat Eccleſiæ immunitatem extraendo aliquem, cauſa nondum cogni-

ta, vel non obtenta ab Epiſcopo licentia, ergo adhuc in eo caſu tenetur illum reſtituere.

Immo etiam ſi extractus velit juri ſuo cedere, & in poteſtate Judicis ſæcularis permanere. Quia hoc privilegium eſt immediate conceſſum loco Sacro. Nullus autem poteſt cedere juri alteri conceſſo. Quam ob cauſam Clericus non poteſt conſentire in ſui percuſſionem, nec in Judicium contra ſe a Judice ſæculari exercendum, cum hoc privilegium conceſſum ſit in favorem ſtatus Eccleſiaſtici, cui Perſona privata cedere non poteſt.

Utrum autem reus, qui ab Eccleſia fuit violenter extractus a poteſtate Laicali, & poſt extractionem patravit delictum pertinens ad Forum ſæculare, prius poſſit pro hujuſmodi delicto puniri, antequam Eccleſiæ reſtituatur.

Reſpondetur, eſſe prius reſtituendum Eccleſiæ, ſi commode, & abſque dilatione reſtitui poſſit. Quia qui prior eſt tempore, potior eſt Jure. Tum quia æquum non eſt, ut Eccleſia ob injuſtam extractionem factam a Judice ſæculari detrimentum in ſua immunitate patiatur.

Quando aliquis delinquens fuit captus a Poteſtate Laicali, ita ut oriatur dubium, an in eo loco ſacro, vel profano captus ſit, aſſerentibus ſatellitibus cepiſſe extra locum Sacrum, Reo vero teſtante, ſe captum eſſe in loco Sacro; ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat hoc decidere, & judicare, quia ſicut quando controvertitur, an captus ſit Eccleſiaſticus, vel Laicus, controverſia eſt definienda a Judice Eccle-

ſiaſtico, ita in hoc caſu, cum ſit par ratio. Tum quia in hoc caſu agitur de Immunitate Eccleſiaſtica, quæ pertinet ad Eccleſiaſticam juriſdictionem.

Sextus, & ultimus effectus eſt, actus factos a Judice ſæculari contra delinquentem per vim extractum a loco Sacro, irritos eſſe, ac nullos, quia ſunt facti ſine juriſdictione; non ſubſiſtente enim fundamento, neque ſubſiſtit id, quod in eo fundatur, ac per conſequens non poteſt Judex hujuſmodi delinquentem torquere; ac punire. Immo neque poteſt juridice interrogare, conſequenter reus non tenetur ipſi Judici reſpondere, quia Judex non habet juriſdictionem in reum eo modo captum, & reo competit actio, & jus eximendi ſe ab ipſius poteſtate, & curandi, ut loco immuni reſtituatur.

Immunitas Eccleſiaſtica, primo competit Eccleſiis authoritate Epiſcopi fundatis, conſecratis, aut benedictis, in quibus Divina celebrantur. Iſtæ enim proprie dicuntur Eccleſiæ, & loca Sacra Divino cultui perpetuo dicata.

Hoc privilegium competit etiam Eccleſiæ authoritate Epiſcopi fundatæ in Divinum Cultum, quamvis nondum officiata; & etiam ſi ibi non aſſervetur Euchariſtia, quia ex hoc præciſe quod ſit authoritate legitima fundata ad hunc finem, ut remaneat permanenter Cultui Divino dicata, immunitatem habet. Tum quia ſumus in materia favorabili, adeoque extendenda.

Item etiam ſi Eccleſia polluta ſit, aut interdicta, cum ex eo non deſinat eſſe

obſequiis Divinis dicata. Tum quia non reperitur in jure, quod Eccleſiæ pollutio, aut interdictum habeat hunc effectum præſtare, privandi ſcilicet ipſam Eccleſiam privilegio immunitatis.

Item gaudet Eccleſia hoc privilegio, etiam ſi diruta ſit, cum ob id non deſinat eſſe locus ſacer, nec amittat ſua privilegia, dummodo tamen non ſit diruta auctoritate Epiſcopi abſque ſpe reædificationis. Nam Eccleſia diruta ſine tali ſpe, ſicut amittit Indulgentias, ita etiam immunitatem. Privilegium enim eſt velut accidens morale, quod deſtruitur deſtructo ſubjecto.

Non ſolum interius Eccleſiæ corpus, verum etiam tota Eccleſiæ fabrica a pavimento uſque ad ſummitatem tecti, Sacriſtia Eccleſiæ conjuncta, Campanile, cæteraque Eccleſiæ acceſſoria, nempe Porticus, ſeu Atrium, ſcalæ, & ſimilia eodem privilegio immunitatis gaudent. Quia verſamur in materia favorabili conſequenter extendenda. Idem dicendum de Cœmeterio ſive conjuncto, ſive ſeparato. Tum quia acceſſoria in favorabilibus gaudent privilegio principalis, & quæ ſacris, & Religioſis adhærent, ſacra, & religioſa cenſentur.

Privilegium Immunitatis Eccleſiæ extenditur jure communi ad 40. paſſus, ſi Eccleſia ſit major; ſi vero ſit minor ad 30. verum tamen juxta conſuetudinem non extenditur ultra terminos definitos.

Hinc domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Eccleſiaſticorum exiſtentes prope Eccleſias juxta præſcripta con

confinia, gaudent Immunitate Eccleſiaſtica, etiam ſi in iis dentur habitatores Laici, nam privilegium hoc directe conceſſum eſt locis, non perſonis.

Eodem privilegio gaudent Monaſteria, Collegia, Domus Religioſorum tam Regularium, quam Sæcularium Collegialiter viventium. Item Hoſpitalia auctoritate Epiſcopi fundata, necnon etiam Seminaria Clericorum. Inſuper Oratoria publica auctoritate Epiſcopi erecta, in quibus publice celebratur, quolibet indiſferenter concurrente ad audiendam Miſſam, ſecus autem de privatis in Domibus ſæcularium, etiam ſi in iis cum facultate Epiſcopi celebretur.

Denique etiam Palatium, ſeu Domus Epiſcopi privilegio immunitatis gaudet, præſertim ſi ſit conſtructum intra quadraginta paſſus ab Eccleſia. Quamvis etiam valde probabilis ſit ſententia dicentium gaudere, etiam ſi ſit conſtructum extra præfatos limites.

Hæc ſunt loca, ad quæ rei libere confugientes, non poſſunt capi, nec inde extrahi ſine violatione immunitatis.

Utrum autem Sacerdos deferens Euchariſtiæ Sacramentum gaudeat privilegio immunitatis, itaut reus ad ipſum confugiens, eumque amplexans, capi nequeat a poteſtate Laicali.

Reſpondeo cum Bonacina, licite capi non poſſe ob reverentiam debitam tanto Sacramento.

Verum tamen in rigore loquendo ſi capiatur, cenſeo cum eodem, non violari Immunitatem Eccleſiaſticam, nec per con-

conſequens reum captum fore de rigore juris reſtituendum Eccleſiæ, modo non adſit conſuetudo in contrarium. Ratio eſt, quia immunitas ex juris diſpoſitione, eſt conceſſa locis Sacris, Sacerdos autem quamvis geſtans Euchariſtiam non venit in communi intelligentia nomine loci Sacri. Tum quia in hac materia non valet argumentari a minori ad majus, ſed ſtandum eſt diſpoſitioni juris. Quamvis enim Summus Pontifex potuerit hoc Privilegium Immunitatis concedere Sacerdoti Euchariſtiam geſtanti; in jure tamen nullibi reperitur conceſſum eſſe.

Dixi, modo non extet conſuetudo in contrarium, cum enim hæc conſuetudo Immunitati Eccleſiaſticæ non præjudicet, ſed faveat, nihil obſtat, quin introduci potuerit hæc immunitas, quæ ſuffragetur amplexantibus Sacerdotem Euchariſtiæ Sacramentum geſtantem.

Imo addit Bonacina, alicubi conſuetudine receptum audiviſſe, ut amplexans Sacerdotem quicunque ſit, etiam ſi actu non deferat Euchariſtiam, tutus ſit, & in carcerem coniici non poſſit. Ex juris tamen diſpoſitione hoc privilegio non gaudent Sacerdotes, ut ad ipſos confugientes tuti ſint, quia nullum jus afferri poteſt ad probandum hujuſmodi privilegium.

Cum immunitas immediate conceſſa locis Sacris redundet etiam in perſonas ad ea confugientes, nunc videre oportet, quænam perſonæ, & in quibus caſibus gaudeant, vel non immunitatis favore.

Fidelis omnis in quibuſcumque caſibus, non exceptis in jure, etiam ſi eſſet inter-

terdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, & excommunicatus gaudet immunitate Eccleſiæ. Etenim interdictum, & excommunicatio licet privet ingreſſu Eccleſiæ, in ordine ad audienda Divina Officia, eo tamen non privant in ordine ad privilegium immunitatis, nempe privant ingreſſu formali, non vero materiali.

Non ſolum fideles, ſed etiam Infideles, Hæretici, Judæi, & Pagani in delictis non exceptis gaudent immunitate Aſyli, & refugii in Eccleſia. Quia privilegium hoc eſt conceſſum non intuitu perſonarum, ſed locorum, & ob reverentiam loci Sacri, & Religioſi.

Unde deducitur, Clericos, & in univerſum perſonas Eccleſiaſticas, qui ob delicta patrata, quæ tamen non ſint de exceptis in Bulla Gregorii, confugiunt ad Eccleſiam, gaudere & ipſos immunitate refugii, itaut non poſſint inde extrahi, neque a Poteſtate proprii fori ſine violatione immunitatis, præterquam in caſibus degradatione dignis, uti declaratum eſt, ac deciſum a Sacra Congregatione. Et ratio eſt, quia privilegium immunitatis, quo ad refugium, eſt diverſe conceſſum locis Sacris ob reverentiam ipſorum, ergo ſuffragari debet cuilibet ibi exiſtenti, ſive delinquens ſit Laicus, ſive Clericus, cum non minus locus Sacer injuria afficiatur, ſi Laicus ab eo extrahatur, quam ſi Clericus, alioquin Clericus eſſet deterioris conditionis comparative ad Laicum etiam excommunicatum, etiam Judæum & Paganum, ſi iſte non poſſet extrahi, poſſet autem Clericus.

Di-

Dices, ſine injuria ſtatus Eccleſiaſtici Clericus delinquens capitur, carceratur, & punitur citra tamen pœnam ſanguinis a Poteſtate Eccleſiaſtica, ergo etiam ſine injuria loci Sacri Clericus delinquens, & ſe refugiens in Eccleſiam, poterit capi a Poteſtate Eccleſiaſtica, & inde extrahi, & carcerari.

Sed contra, conc. antec. neg. conſ. diſpar. eſt, quia immunitas perſonalis, ſeu privilegium, quo gaudent Clerici, eſt tantum privative ad Judicem ſæcularem, non autem ſimpliciter, & ad omnem etiam proprium, & Eccleſiaſticum, ita exigente jure naturali boni Regiminis, quod poſtulat, ut Eccleſiaſtici delinquentes proprium Judicem habeant, a quo judicentur, & puniantur, ſecus inordinata eſſet Reſpublica Eccleſiaſtica; quæ ratio non tenet de immunitate loci Sacri quo ad Refugium: unde in hoc Capite immunitas loci Sacri major eſt immunitate perſonali.

Hinc deducitur, etiam Religioſos, non quidem in proprio Monaſterio, quia hoc contradiceret rationi boni regiminis, nec unquam poſſent delicta Regularium puniri, ſed confugientes, & ſe refugientes ad propriam Eccleſiam, aut ad Eccleſiam ſeu Monaſterium aliorum Regularium, gaudere immunitate refugii, quia ſi Eccleſia Monaſterii tuetur extraneos ad eam confugientes, cur non etiam proprios Religioſos, cum privilegium hoc ſit univerſale?

Dices: poteſt Religioſus delinquens capi in proprio Monaſterio, & inde extrahi,

hi, & carcerari a ſuo Superiore, ita poſtulante ratione boni regiminis, ne deliĉta Religioſorum remaneant impunita, ergo poterit etiam capi in Eccleſia ſui Monaſterii, ſi in eam ſe recipiat. Sed contra, concedo ante. nego conſequentiam, quia ratio boni Regiminis, reſpectu Religioſorum delinquentium, ſufficienter ſalvatur per carentiam refugii in proprio Monaſterio.

Adverto tamen, quod ſi Superior Regularis velit procedere erga ſubditum delinquentem, non ut Judex, ſed ut Pater, in hoc caſu certum eſt, poſſe a Superiore ut Patre extrahi ſubditum ab Eccleſia, non ſolum propria, ſed etiam aliorum, qui etiam poſſunt eum reddere Superiori ſuo tanquam Patri, ſine violatione immunitatis, quia jura prohibentia extractionem ab Eccleſia, intelligenda ſunt de extractione ut a Judice, & in foro criminali, non de ea ut a Patre, & in foro paternæ charitatis, & in hoc caſu Superior non poteſt contra dictum ſubditum ſic extractum juridice procedere, & criminaliter punire.

Gregorius XIV. in ſua Bulla circa confugientes ad Eccleſias, & loca Sacra, ſequentes excipit ab immunitate Refugii, videlicet: ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, aut depopulatores agrorum; ſi homicidia, vel mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, eorumque cœmeteriis commiſerint; ſi proditorie Proximum ſuum occiderint, aut ſi fuerunt aſſaſſini, vel hæreſis, aut læſæ majeſtatis in Perſonam ipſiuſmet Principis

Rei:

Rei : hiſce omnibus immunitatis favor minime ſuffragatur ex dicta Conſtitutione.

Publici latrones, viarumque graſſatores intelliguntur illi, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac tranſeuntes ex inſidiis violenter aggrediuntur, & deprædantur.

Ex quo ſequitur, ſubripientes abſque armis, & violentia, ſeu occulte furantes, ſeu furantes in viis privatis, vel etiam in via publica, non per inſidias, ſed quaſi ex accidenti, non privantur immunitate, quia iſti non cenſentur publici latrones, aut graſſatores viarum, ad quos proinde non eſt facienda extenſio, cum verſemur in materia pœnali, & odioſa, utpote libertati delinquentium, & immunitati Eccleſiæ contraria.

Depopulatores agrorum intelliguntur ii, qui diripiunt alienos agros, ideſt qui ſegetes, ſeu fructus ſubripiunt, & agros, ſeu vineas vaſtant, aut incendunt.

Quantum ad occidentes, aut mutilantes in Eccleſiis, vel in earum Cœmeteriis, non comprehenduntur vulnerantes præciſe abſque occiſione, aut mutilatione ſecuta, quia exceptio utpote odioſa accipi debet in terminis juris. Si tamen vulnus inflictum in Eccleſia eſſet letale, & ex eo ſequeretur mors, poſtquam vulneratus exiiſſet ab Eccleſia, tunc vulnerator non gauderet immunitate, quia eſſet comprehenſus inter occidentes in Eccleſia, cum vere diceretur in Eccleſia occidiſſe ſaltem in cauſa. E contra autem ſi vulnus letale eſſet inflictum extra Eccleſiam, &

vul-

vulneratus ſe refugiens in Eccleſia ibi moreretur, tunc vulnerator gauderet immunitate ob contrariam rationem. Gauderet item immunitate, qui occideret, aut mutilaret in quolibet alio loco Sacro, & Religioſo, diverſo tamen ab Eccleſia, & Cœmeterio, quia dicta Conſtitutio Gregorii limitat locum ad Eccleſiam, & Cœmeterium. Eadem ratione gauderet immunitate qui vi, aut dolo alium extraheret ab Eccleſia, & eum extra Eccleſiam occideret.

Quid autem de aliis delictis, præter homicidia, vel mutilationes, in Eccleſia patratis; an ea etiam privent immunitate refugii, videtur dicendum, illa etiam privare. Quia æquum videtur, quod Eccleſia neminem, qui in ipſamet deliquerit, tueatur.

Verum poſt præfatam Conſtitutionem Gregorii XIV. privatio immunitatis ad ſolos delinquentes in Eccleſia delicto homicidii, vel mutilationis reſtringitur, nec eſt extendenda ad caſus in ea non expreſſos, puta etiam ad furantes, verbi gratia, in ipſis Eccleſiis, quinimo prohibetur in eadem Conſtitutione fieri extenſionem ad alios caſus, etiamſi enormes, præter exceptos; unde exceptio in uno caſu firmat regulam in caſibus non exceptis.

Dicendum eſt igitur, cætera delicta, præter homicidia, vel mutilationes, in Eccleſiis commiſſa non privare delinquentes immunitate refugii etiam reſpective ad Judices Eccleſiaſticos, ut declaravit Sacra Congregatio Immunitatis. Unde in caſibus

bus particularibus occurrentibus, præter exceptos, Eccleſiaſtici Judices nequeunt præfatos reos extrahere ab Eccleſia, carcerare, & punire, aut etiam tradere Curiæ ſæculari, niſi de licentia, & mandato Summi Pontificis.

Circa occiſionem proximi proditoriam ſcire oportet quid veniat nomine occiſionis proditoriæ, ſeu proditoris, ut pateat, quid in caſu excepto ſit comprehenſum, quid non.

Igitur nomine Proditoris proprie venit ille, qui alium occidit ſimulata amicitia per inſidias, nulla præcedente inimicitia actuali conſpirativa necis.

Hinc non comprehenditur in caſu excepto proditoriæ occiſionis, qui inimico inſidiatur, & illum occidit incautum, vel a tergo, iſte enim cenſetur Traditor, non Proditor, & gaudet immunitate refugii, ut declaravit Sacra Congregatio.

Comprehenditur autem, & privatur immunitate mater occidens filium infantem, & quicunque procurans abortum fœtus animati effectu ſecuto, ut etiam declaravit Sacra Congregatio, neque gaudent immunitate venefici, qui veneno occidunt.

Aſſaſſini dicuntur illi, qui pretio accepto, vel promiſſo conducti prævio mandato occidunt incautos, nihil ſcilicet de hoc cogitantes, ac prævidentes ad ſui præcautionem. Deficiente aliqua ex his conditionibus deeſt ratio aſſaſſinii.

Hinc ille, qui ſine pretio accepto, vel promiſſo aliquem interfecit, ut alteri rem gratam faceret, vel ſub ſpe alicujus præ-

mii

mii a mandatore obtinendi, non cenſetur aſſaſſinus, nec per conſequens comprehenſus in caſu excepto, quia ad tale homicidium patrandum non fuit pretio conductus.

Hinc ſecundo ille, qui ſuum adverſarium, cum quo inimicitias habebat, occidit, ſociis pecunia conductis, aſſaſſinus cenſendus non eſt, quia non occidit incautum, cum unuſquiſque ſe præcavere debeat de ſuo inimico, imputando ſibi, ſi non præcaveat. Ob eandem rationem non eſt pro aſſaſſino habendus, qui pretio conductus occidit inimicum communem ſibi, & mandanti, nempe inimicum & mandatoris, & ſuum ſimul, etiam ſociis pecunia conductis, cum potius inſtigator cenſeatur qui pretio conducit ad occidendum inimicum in ſenſu dicto.

Ad rationem ergo aſſaſſinii privantis immunitate requiritur, quod homicida incautum occidat excepto pretio, vel prævia pretii promiſſione cum mandato ad occidendum.

Utrum autem in caſu aſſaſſinii ſint comprehenſi non ſolum pretio conducti, & mandatarii, ſed etiam pretio conducentes, ac mandantes ad occidendum?

Reſpondetur, etiam eos eſſe comprehenſos, & nec ipſos gaudere immunitate, immo etiam fautores, auxiliatores, & receptores aſſaſſinorum, quia Gregorius in ſua Bulla generaliter loquitur de reis aſſaſſinii. Rei autem aſſaſſinii vere dicuntur eſſe omnes etiam cooperatores hujuſmodi criminis; ergo &c.

Quantum ad hæreticos, cum Gregorius

rius

rius excipiat in terminis reos hæreſis, cenſeo comprehenſos in caſu nedum hæreticos ipſos, illos ſcilicet qui cum pertinacia ſentiunt contra fidem, ſed etiam eos, qui auxilium, vel favorem hæreticis præbent, cum ex hoc ipſo efficiantur hæreſis rei, conſequenter & iſti comprehenduntur in caſu excepto, & privantur immunitate.

Comprehenduntur etiam, & privantur immunitate furantes in Eccleſia Pixidem cum particulis conſecratis, quia delictum hoc ſapit hæreſim.

Non comprehenduntur autem, neque carent immunitate ſchiſmatici, & apoſtatæ, quando tamen ipſorum crimen cum hæreſi conjunctum non ſit, ſecus autem ſi ſit conjunctum.

Ob alia delicta diſtincta ab hæreſi, & non excepta, Hæretici non carent immunitate, carent autem ob crimen hæreſis, quia in Bulla excipiuntur hæretici tantum ratione hæreſis.

Ultimo in præfata Gregorii Conſtitutione excipiuntur a privilegio immunitatis Rei criminis læſæ Majeſtatis in perſonam Principis.

Ubi notandum, nomine Principis intelligi ex communi DD. Principes ſupremos; qui in temporalibus alium Superiorem non agnoſcunt.

Hinc offendentes Perſonam Summi Pontificis privantur immunitate, quia Summus Pontifex omnes alios Principes Majeſtate ſuperat, nullumque in temporalibus, vel ſpiritualibus Superiorem agnoſcit. Idem dicendum de offendente Perſo-

ſonam Imperatoris, Regis, & alterius Principis Supremi plenum jus habentis, nec alium in ſua juriſdictione, ac Dominio Superiorem agnoſcentis.

Crimen autem læſæ Majeſtatis in Perſonam Principis eſt quævis actio exercita in offenſionem propriæ Perſonæ Principis, ut vel eum occidendo, vel vulnerando, vel percutiendo, vel conjurando, vel machinando, vel hoſtiliter inſequendo Perſonam Principis, vel etiam revelando Hoſtibus ſecretum Principis, ut ab ipſis capiatur. Comprehenduntur etiam conſulentes, mandantes, auxiliantes, & favorem præſtantes, quia iſti omnes ſunt rei criminis læſæ Majeſtatis in perſonam Principis.

Præter caſus exceptos enumeratos in aliis quibuſcunque caſibus, delinquentes gaudent privilegio immunitatis, ſic decernente Pontifice, & ſimul prohibente fieri extenſionem privationis immunitatis ad alios caſus præter exceptos in ſua Bulla.

Epiſcopi tenentur Laicos in prædictis caſibus delinquentes, qui ad Eccleſiam confugiunt, conſignare Curiæ ſæculari eos requirenti, ita præcipiente Pontifice in ſua Bulla, & ſervatis quæ in ea ſcripta ſunt.

In aliis caſibus præter exceptos Epiſcopi non poſſunt dare facultatem extrahendi delinquentes ab Eccleſia, & eos tradere Curiæ ſæculari, quia in dicta Bulla eſt eis hæc facultas ablata.

Antequam delinquens, in caſu aliquo excepto, tradatur Curiæ ſæculari, iſta forma ex juris diſpoſitione ſervanda eſt, nempe, ut non capiatur, aut extrahatur, niſi cum licentia expreſſa Epiſcopi, vel ejus Vicarii,

rii, ut interveniat Perſona Eccleſiaſtica habens facultatem ab Epiſcopo, vel ejus Vicario; ut non ſtatim ac captus eſt, & extractus, tradatur Curiæ ſæculari, ſed ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponatur, & ſub tuto, & firmo carcere, data etiam ſi opus fuerit per Curiam ſæcularem opportuna cuſtodia, ibidem detineatur, nec inde extrahi, Curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſit; niſi prius cognito per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an talis delinquens vere ſit reus criminis, ob quod non debeat immunitate gaudere, & hinc de mandato Epiſcopi per Judicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari, quacunque appellatione poſtpoſita conſignandus eſt, abſque eo quod Epiſcopus cautionem exigat promiſſoriam a Judice ſæculari, de non puniendo pœna ſanguinis delinquentem, quia Summus Pontifex hanc cautionem non præſcribit habendam, ſed præcipit, tradi Reum, quin Epiſcopus incurrat ullam notam irregularitatis.

Violantes immunitatem Eccleſiaſticam per extractionem delinquentis e loco Sacro, peccant tum peccato ſacrilegii contra reverentiam debitam loco Sacro, tum peccato injuſtitiæ contra jus quod competit delinquenti: & tenentur Eccleſiæ ſatisfacere, & reſtituere reum priſtinæ immunitati, & inſuper compenſare omnia damna, quæ inde paſſus eſt delinquens ex iniqua extractione.

Contra violantes immunitatem Eccleſiaſticam eſt injuncta pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda, & Summo Pontifici reſervata, quam pœnam incurrunt non ſolum capientes, & extrahentes delinquen-

tem

tem ab Eccleſia in caſibus in Bulla non exceptis, verum etiam in exceptis, quando non fuit ſervata forma in eadem Bulla præſcripta ſupra aſſignata.

Item etiam incurrunt excommunicationem ſolum præciſe attentantes extractionem, ſeu incarcerationem, vel capturam delinquentis contra, vel præter formam in dicta Bulla præſcriptam, etiam ſi hujuſmodi extractio, ſeu incarceratio, vel captura in effectu ſecuta non fuerit, ut liquet in eadem Bulla, ubi dicitur: *Si quis quidquam præter, aut contra hujus noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit*. Ex quibus verbis deducitur, ſufficere etiam ad excommunicationem incurrendam attentatum, ſive conatum, nempe actionem, qua Miniſtri Curiæ ſæcularis opere externo tentaverint capere, vel extrahere delinquentem a loco immuni, quamvis etiam non ſit ſecutus effectus; etenim Cenſura incurritur hoc ipſo, quod exercetur actio, quæ eſt ſub cenſura prohibita, cum ergo ſola etiam attentatio, ſive conatus capiendi ſit ſub cenſura prohibita, ideo &c. Delictum autem vere dicitur attentatum etiam ſi in effectu non ſit perpetratum, dummodo ſit factus aliquis actus proximus actui completo, & conſummato.

Item incurrunt hanc excommunicationem mandantes extrahi reum a loco Sacro, quia Gregorius in dicta ſua Bulla excommunicat omnes attentantes aliquid præter, vel contra formam ipſius Bullæ; ſed mandans extrahi Reum a loco Sacro, non ſervata Conſtitutionis forma, dicitur attentare aliquid præter, vel contra formam ipſius Bullæ: ergo excommunicatur.

Item hac excommunicatione afficitur Judex, qui nec mandavit extrahi, nec extraxit, ſed extractum detinuit, aut Eccleſiæ reſtituere noluit, aut morti adjudicavit. Ratio eſt, quia excommunicantur attentantes, ſeu facientes aliquid contra vel præter formam Bullæ, dum non reſtituunt extractum, cum extractio juridice nulla ſit, & extractus reſtituendus ſit Eccleſiæ, ut gaudeat immunitate, vel reponendus in carceribus Curiæ Eccleſiaſticæ, donec cognitum fuerit, an patraverit delictum privans immunitate.

Conſulentes autem aliquid contra, vel præter formam iſtius Conſtitutionis, in excommunicationem non incidunt, quia cenſura lata contra facientes, vel attentantes non comprehendit conſulentes. Tum quia verſamur in materia pœnali, in qua benignior, & ſtrictior interpretatio facienda eſt.

Uno itaque verbo, omnes, & ſinguli cujuſcunque gradus, & conditionis tranſgreſſores Bullæ Gregorianæ, qui temere aliquid contra, vel præter formam in Bulla expreſſam, facere, vel attentare præſumpſerint, afficiuntur iſta excommunicatione, etiam ſi id faciant prætextu alicujus privilegii. Quia Summus Pontifex revocavit omnia privilegia, & formam in ſua Bulla præſcriptam ſervari omnino intendit ab omnibus cujuſcunque ſtatus, & conditionis.

CA-

C A P U T XVI.

DE POLLUTIONE ECCLESIÆ.

POllutio Eccleſiæ eſt violatio, ſeu profanatio Eccleſiæ ſecuta per actionem injurioſam, ratione cujus eſt a jure prohibitum in ea celebrari Divina Officia, donec reconcilietur.

Pluribus modis contingit Eccleſiæ pollutio. Primo per homicidium voluntarium, & injurioſum in ea ſecutum, etiamſi factum ſine ſanguinis effuſione.

Dixi voluntarium, & injurioſum, quia ſi fiat ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ab amente, vel caſu, puta ex lapide cadente de pariete, aut alio modo caſualiter accidat, non polluitur Eccleſia. Dixi etiam ſi factum ſine ſanguinis effuſione, ut ſi mater in Eccleſia data opera Infantem ſuffocaret, aut ſi carnifex aliquem laqueo ſuſpenderet, pollueretur Eccleſia. Pollueretur etiam Eccleſia, quaudo quis martyrium in ea ſubſtinet, & pro Chriſto occiditur, nam illa actio eſt injurioſa, & iniqua, licet paſſio ſit Deo grata.

Secundo contingit Eccleſiæ pollutio per injurioſam humani ſanguinis effuſionem ſecutam, ſcilicet per vulnerationem aut percuſſionem letaliter peccaminoſam in Eccleſia illatam, etiam ſi mors non ſequatur.

Hæc autem ſanguinis effuſio eſſe debet in aliqua abundantia, ut non ſufficiant duæ vel tres guttæ. Unde non ſufficit ad polluendam Eccleſiam quælibet effuſio ſangui-

 nis,

nis, ſed requiritur, ut hæc ſit in aliqua abundantia, & ut non ſit ex parte, de qua de facili exit ſanguis, ſcilicet e naſo, ut contingit in rixis puerorum, & inſuper quod non ſequatur ex joco, vel ex percuſſione levi, quæ non pertingat ad peccatum mortale, etiam ſi ex ea ſequatur effuſio ſanguinis in aliqua abundantia, quia effuſio hæc cenſetur quodammodo materialis, & caſualis.

Dixi in Eccleſia illatam, quia ut polluatur Eccleſia nihil refert, quod ſanguinis effuſio ſequatur in, vel extra Eccleſiam, dummodo actio injurioſa vulnerationis, aut percuſſionis fuerit facta in Eccleſia.

Tertio contingit Eccleſiæ pollutio per voluntariam humani ſeminis effuſionem etiam infidelis. Hinc ſi ſit involuntaria, ut ſi contingat in ſomnis, aut etiam in vigilia, ſed coacte, non polluit Eccleſiam. Requiritur ergo ad Eccleſiæ pollutionem, ut pollutio ſit voluntaria, quamvis non ſit neceſſe, ut ſemen in terram effundatur, ſeu recipiatur in vaſe naturali feminæ, vel ſpargatur ſupra veſtes, nam loci ſanctitas violatur, etiam ſi ſemen in terram non decidat. Non ſufficit econtra ad polluendum Eccleſiam parva diſtillatio, aut humectatio, etiam ſi ea contingat ex parte interioris voluntatis cum peccato mortali, ut indicat nomen ipſum effuſionis, quæ importat aliquam copiam ſeminis deciſi. Polluitur etiam Eccleſia ſi copula habeatur conjugalis abſque neceſſitate. Secus autem ſi occulte habeatur ex legitima neceſſitate, ut ſi periculum adſit incontinentiæ in ali-

quo

quo conjuge, nec alibi adſit opportunitas coeundi.

Quarto contingit Eccleſiæ pollutio per ſepultum ibi excommunicatum, denunciatum, aut manifeſtum Clerici percuſſorem, cum iſti ſoli poſt Concilium Conſtantienſe ſint vitandi, ac proinde minime ſepeliendi in loco Sacro. Non tamen pollueretur Eccleſia, ſi ab Epiſcopo excommunicato vitando conſecraretur, contra nonnullos Doctores oppoſitum ſentientes, quarum opinio mihi non placet, cum non probetur aliquo claro Textu, & in pœnalibus non ſit facienda extenſio, niſi ſit in jure expreſſa.

Quinto contingit Eccleſiæ pollutio ob ſepultum ibi infidelem, vel Hæreticum, non autem ob ſepultum Cathecumenum ante ſuſceptum Baptiſmum, quia præſumitur deceſſiſſe cum Baptiſmo flaminis: item ob puerum non Baptizatum ibi ſepultum, etiam ſi ſit filius genitorum fidelium, quatenus puer ante Baptiſmum eſt infidelis ſaltem negative, cum non habeat fidem nec actu, nec habitu. Secus vero ſi mortuus in utero matris ſimul cum matre ſepeliatur, quia tunc non per ſe ſepelitur, ſed per accidens, & ut pars matris, & pro honore matris Chriſtianæ ſepelitur in Eccleſia.

Additur ſextus modus, quo Eccleſia polluitur, quando ſcilicet parietes Eccleſiæ majori ex parte ita deſtruuntur, vel comburuntur, ut eam denuo reædificari neceſſe ſit. Et ratio eſt, quia amiſſa fuit prior conſecratio per deſtructionem parietum, in quibus erat inhærens; unde facta illorum reparatione, opus eſt nova conſecratione.

Adverto tamen, hunc caſum non habere locum in Eccleſia tantum benedicta non conſecrata, quia benedictio inhæret ipſi ſolo, ac pavimento, quod remanet; conſecratio vero in parietibus, cum in ipſis fiat, & ideo ſi collabantur, & ipſa deſinit.

Adverto inſuper, hunc caſum non pertinere proprie ad pollutionem Eccleſiæ conſecratæ. Etenim ex collapſu parietum potius dicitur Eccleſia deſtrui, quam pollui, quapropter in ſuperioribus caſibus ſi Eccleſia polluatur, per ſolemnes ceremonias tantum reconciliatur, in hoc vero denuo conſecratur.

Ut Eccleſia cenſeatur polluta, & reconcilianda, oportet quod publice conſtet de illius pollutione, ſeu de crimine eam polluente.

Ratio eſt, tum quia ita uſu, & praxi receptum eſt: tum quia ſicut ob occulta crimina injungi non ſolet publica pœnitentia, ne delinquens injurioſe diffametur, ita neque Eccleſia cenſenda eſt polluta, & reconcilianda, niſi publice conſtet de illius pollutione, ſeu de crimine eam polluente, alioquin diffamaretur. Tum quia purificatio Templi cum ſit actus publicus, ſupponit delictum publicum, nam publice purificatur ad publicum ſcandalum, & publicam injuriam, ac profanationem Eccleſiæ factam tollendam. Publice autem cenſetur conſtare de Eccleſiæ pollutione, quando vel evidentia facti, vel confeſſione delinquentis, aut alia ſimili ratione pluribus innotuit delictum in Eccleſia patratum fuiſſe.

Secus autem non eſt cenſenda polluta, & reconcilianda, ſi delictum fuerit occultum,

&

& quandiu manſerit occultum, quamvis ſacrilegum, & contra reverentiam debitam loco Sacro.

Nomine Eccleſiæ, quæ in prædictis caſibus pollutioni, & violationi ſubjacet, venit Eccleſia conſecrata, vel benedicta, item Cœmeterium, & Oratorium publicum, hæc enim proprie ſunt ſacra.

Et quoniam pollutio, ac violatio eſt materia pœnalis, & odioſa, reſtringitur ſolum ad interius corpus Eccleſiæ a tecto interiori uſque ad pavimentum comprehendendo Chorum, Cappellas omnes, loca Organorum, Tribunas ſecundum partem interiorem Eccleſiæ, & ſubterranea etiam, quandoquidem ibi extant Altaria, & celebrantur Divina, aut ſint ſepulturæ mortuorum, & non ultra: ad diſcrimen immunitatis, quæ utpote favorabilis extenditur etiam ad ſpatium ſuperius inter unum, & alterum tectum Eccleſiæ, ad Sacriſtiam, ad Campanile, ad ſpatium exterius ante fores Eccleſiæ terminis definitum, ad cameras Eccleſiæ inhærentes &c., in quibus tamen, ſi homicidium patretur, ſi habeatur copula, ſi fiat effuſio ſanguinis, non eſt ſacrilegium, nec violatur Eccleſia.

Polluta Eccleſia, cenſetur etiam pollutum Cœmeterium illi contiguum, quia Cœmeterium conſecratum, vel benedictum gaudet eodem privilegio, quo Eccleſia, & eſt acceſſorium Eccleſiæ, acceſſorium autem ſequitur principale, & nobilius trahit ad ſe minus nobile. Econtra autem polluto Cœmeterio, non cenſetur polluta Eccleſia, quia minus nobile non trahit nobilius.

Celebrans in Eccleſia polluta non incur-

rit aliquam pœnam, quia hoc nullo jure conſtat, præſertim cum pollutio Eccleſiæ non ſit cenſura, pœna autem non incurritur niſi ſit in jure expreſſa.

Peccat tamen mortaliter, ſaltem regulariter, & per ſe loquendo, quia facit contra Eccleſiæ præceptum quod extenditur non ſolum ad abſtinendum a celebratione Miſſæ, ſed etiam a Divinis Officiis, aliiſque ſacris peragendis, itaut non liceat ibi horas Canonicas recitare, publice cantando in Choro, nec Sacramenta adminiſtrare; quodlibet enim ex his fiat, cedit in magnam Eccleſiæ irreverentiam, & Sacramenti, cum ex variis jurium diſpoſitionibus ille locus, eo quod ſit violatus, maneat inhabilitatus ad Sacra Myſteria, donec reconcilietur.

Quid autem aget Sacerdos ſi inter celebrandum Eccleſia violetur? Dico Sacerdotem in tali caſu, ſi nondum pervenit ad Canonem, debere Miſſam inchoatam intermittere, & recedere ab Altari; ſi vero Canonem inchoavit, debere Miſſam abſolvere, quia Sacrificium inchoatum jure Divino eſt perficiendum, cenſetur autem inchoatum incœpto Canone, cum Hoſtia tunc proxime præparetur ad Conſecrationem.

Dixi ſupra regulariter, & per ſe loquendo, quia per accidens, & in quibuſdam caſibus urgentis neceſſitatis excuſatur a peccato Celebrans in Eccleſia polluta, primo in caſu, quo deeſſent particulæ Conſecratæ, & urgeret neceſſitas communicandi infirmum morti proximum: ſecundo ſi in die Feſto Populus non haberet aliam Eccleſiam,

in

in qua poſſet audire Miſſam , & non eſſet recurſus ad Epiſcopum pro obtinenda diſpenſatione ac licentia expreſſa; in hiſce caſibus liceret Parocho celebrare in Eccleſia polluta: Addunt Doctores , licere Parocho in Eccleſia Parochiali polluta Baptizare , & aſſervare Euchariſtiam pro infirmis Communicandis . Nam ſi in quocunque Interdicto hæc permittuntur , quanto magis hæc licebunt tempore violatæ Eccleſiæ, ubi non intervenit proprie Interdictum ?

Quomodo & a quonam Eccleſia polluta ſit reconcilianda?

Reſpondetur , Eccleſiam poſſe de jure communi per aſperſionem Aquæ Benedictæ adhibitis precibus, & ritu præſcripto a Rituali reconciliari a ſimplici Sacerdote , ſi Eccleſia non erat conſecrata , ſed ſolum benedicta ; expedit tamen , ſi poteſt, obtinere licentiam ab Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali ſaltem ubi id in uſu eſt. Si vero Eccleſia erat conſecrata , debet juxta Ritum in Pontificali præſcriptum reconciliari, ſecluſo Privilegio , ab Epiſcopo proprio , vel ejus Vicario Generali, ſaltem ubi id in uſu eſt . Si vero Ecccleſia erat conſecrata, debet juxta Ritum in Pontificali præſcriptum reconciliari , ſecluſo Privilegio , ab Epiſcopo proprio , vel ab alio de licentia proprii , vel ſaltem Epiſcopus diſpenſare , ut interim in ea celebretur .

Ubi notant aliqui Doctores , Eccleſiam pollutam , ſemel celebrato in ea ſacroſancto Miſſæ Sacrificio , non indigere reconciliatione per novam benedictionem , quia dicunt , manere ſufficienter reconciliatam

per ipſam præſentiam Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Verum hæc opinio communius a Doctoribus reprobatur, tum ex eo quod nulli Textui juris innititur, tum ex abſurdis, quæ inde ſequerentur; ſequeretur enim, quod cum eadem ſit dignitas ſacrificii, & virtus præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, ſive mala, ſive bona fide, ſive etiam in caſu neceſſitatis ex Epiſcopi diſpenſatione celebraretur in Eccleſia polluta, maneret ex hoc ipſo reconciliata, abſque alia reconciliatione, ſeu nova benedictione.

Idem ſequeretur in caſu quo inter celebrandum incœpto Canone pollueretur Eccleſia, & conficeretur Miſſæ Sacrificium. Idem pariter ſequeretur, ſi in Eccleſia noviter conſtructa, & nondum conſecrata, aut benedicta, ſacrum haberetur, non indigere conſecratione, aut benedictione. Ac denique ſequeretur, quodlibet etiam Oratorium privatum manere benedictum ex hoc ipſo, quod eſſet in eo celebratum ſacrificium, & conſequenter fore etiam ipſum ſubjectum pollutioni, ac violationi, non minus quam Eccleſiæ, & Oratoria publica, quæ omnia ſunt abſurda, & falſa, ſicque &c.

Dixi ſecluſo privilegio, quia Superiores Regularium reſpective ad eorum Eccleſias, etiam conſecratas, abſente Epiſcopo ac diſtante per duas dietas, poſſunt ipſi eas reconciliare, ſi polluantur, ut tenent quamplures Doctores, & hoc ex privilegio a Leone X. conceſſo Fratribus Minoribus, cæteriſque Regularibus in eorum Privilegiis communicantibus. Immo aliqui ex

Do-

Doctoribus extendunt hoc Privilegium, non ſolum quando Epiſcopus abeſt, ac diſtat per duas dietas, ſed etiam quando defunctus eſt, immo quocunque modo abſit Epiſcopus, vel morte, vel renunciatione, vel depoſitione &c.

Quid autem intelligatur nomine diſtantiæ per duas dietas, ut in terminis legitur in Privilegio. Dico, nomine dietæ intelligi iter unius diei, nempe iter viginti, aut triginta milliarium juxta conſuetudinem Regionis, adeoque nomine diſtantiæ per duas dietas intelligi diſtantiam per 40., aut 60. milliaria.

Hoc Privilegio uſus eſt noſter P. Marchinus, ut ipſe teſtatur his verbis. Quod ego ſemel feci Ticini in Eccleſia noſtra Sanctæ Mariæ Coronatæ, pollutæ per quoddam homicidium, & dum poſt factum multos haberem Curiæ Epiſcopalis adverſarios, viſis, & inſpectis noſtris privilegiis, omnes ſiluerunt: hæc ille.

CAPUT XVII.

DE CLAUSURA MONIALIUM.

Clauſura Monialium eſt ſtrictiſſima Monialis obligatio manendi intra ſepta Monaſterii, ſine admiſſione Perſonæ extraneæ, cujuſvis generis, conditionis, & ſexus, ſine licentia Epiſcopi, vel Superioris in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, Summo Pontifici reſervata.

Votum Clauſuræ venit ſub voto obedientiæ. Unde Monialis illam violans, peccat peccato ſacrilegii, prout tale votum appellat.

Duobus modis poteſt violari Clauſura, primo per egreſſum Monialis extra ſepta; ſecundo per ingreſſum extraneorum intra ſepta Monaſterii ſine debita cauſa, & facultate Superioris in ſcriptis obtenta.

Cauſa debitæ facultatis concedendæ eſt neceſſitas moralis gravis, reſpiciens animarum, vel corporum utilitatem gravem.

Hinc licitum eſt Confeſſario ingredi Monaſterium cauſa adminiſtrandi Sacramenta infirmis, aſpergendi Domum juxta morem Eccleſiæ in Sabbato Sancto, ſepeliendi defunctam, exorcizandi Obſeſſam, benedicandi infirmam, Reliquia Sacra, & impertiendi benedictionem Epiſcopalem, aut

aut Indulgentiam morienti, & commendandi animam, quoties opus fuerit, ut eam adjuvet in puncto a quo pendet æternitas.

Confeſſarius ingrediens, ſemper debet eſſe ſuperpelliceo, & ſtola indutus, & ingreſſus non debet divagari ad aliam partem Monaſterii, nec etiam occaſione viſitandi præciſe alias infirmas, niſi cauſa adminiſtrandi iis Sacramentum Pœnitentiæ. Advertendo tamen cum Diana, pro quiete conſcientiæ Confeſſarii, ſi ipſe divagetur pauliſper, peracto ſuo officio, per quartam horæ partem curioſitatis gratia non committeret peccatum mortale, nec incurreret Cenſuram.

Si urgeat caſus quod ſimplex Sacerdos, dum tranſit ante fores Monaſterii, vocetur ad excipiendam Confeſſionem alicujus Monialis, quæ ſit in proximo periculo mortis, nec adſit tempus advocandi Confeſſarium, poteſt cum ſola licentia Abbatiſſæ ingredi, ne Monialis decedat inabſoluta, quia in tali eventu præſumitur licentia interpretativa, non ſolum Epiſcopi, verum etiam Papæ.

Quantum ad Medicos, Chirurgos, ſervos, & alios, pro quibus obtenta eſt licentia generalis ingrediendi in caſibus neceſſariis, hæc non debet extendi ad caſus ſupplebiles per ipſas Moniales, quia intentio concedentis reſtringitur tantum ad caſus, in quibus adſit manifeſta, urgens, & rationabilis cauſa: & finito officio debent ſtatim recedere, nec poſſunt per Monaſterium divagari, ut dixi de Confeſſario; nec poſſunt mutari pro libito,

to, ita ut unus ſufficiatur pro alio, ſine licentia Superioris, niſi in caſu extremæ neceſſitatis.

Licentia generalis, quam Abbatiſſa habet ab Epiſcopo pro Bajulis neceſſariis ad ea opera, quæ ſunt ultra vires Monialium, non debet extendi ad viros nobiles, aut alios, qui hujuſmodi famulatui ordinarie non inſerviunt, hoc enim eſſet licentiæ colluſio. Servitute completa debent omnino recedere, nec poteſt præſtari ſub ſero, aut de nocte, ſed ante ſignum veſpertinæ Salutationis Angelicæ.

Si reus confugiat ad Monaſterium, quod reperit apertum, ut in tuto ſe recipiat, debet ejici, & ſi ad hoc præſtandum Moniales non ſufficiant, poſſunt convocari Officiales Curiæ Eccleſiaſticæ, qui eum extrahant, & in loco Sacro reponant, non autem in ipſa Eccleſia Monialium.

Abbatiſſæ, vel aliæ Moniales, quibus cuſtodia Clauſuræ commiſſa eſt, admittentes, vel permittentes extraneos intra Clauſtra extra caſum gravis, manifeſtæ, & urgentis neceſſitatis, prætextu licentiarum generalium obtentarum ab Epiſcopo, incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam, in quam etiam incidet ſi quæ alia Monialis tametſi ad clauſuræ cuſtodiam minime deputata ſit, admittere præſumat, ut cooperetur ingreſſui poſitive, non tamen ſi ſolum negative, niſi Abbatiſſa, & Cuſtodes Clauſuræ, quæ Cenſuram incurrunt, etiam ſi negative tantum cooperentur, non repellendo, cum poſſunt, & tenentur, quia iis ſub cenſura vetitum eſt, ut etiam permittere in-

ingreſſum: qui autem non repellit, cum poteſt, & tenetur, vere dicitur permittere. Hæc de violatione Clauſuræ quo ad ingreſſum.

Quo ad egreſſum vetitum eſt cuilibet Sanctimoniali poſt profeſſionem egredi a ſeptis Monaſterii, etiam ad breve tempus quocumque prætextu, niſi vel cauſa incendii, vel lepræ, vel morbi contagioſi, & in eventu debet intervenire conſenſus Epiſcopi in ſcriptis, etiam ſi Monialis ſit Regularibus ſubiecta.

Violat Clauſuram Monialis, quæ per duos pedes toto corpore egreditur a janua Monaſterii. Non tamen ſi unum tantum pedem extrahit a janua Monaſterii, ſe extendens curioſitatis gratia ad videndum: Clauſura enim cum ſit terminis definita, conſiſtit in indiviſibili, cum inter intra, & extra non detur locus medius, in quo Monialis neque ſit intra, neque ſit extra; adeoque vel intra, vel extra ſas eſt, ut ſit.

Dixi poſt Profeſſionem, ut denotetur, non comprehendi in jure Novitias ante Profeſſionem, quibus tamen ex Decreto Sacræ Congregationis non debet concedi licentia exeundi ad viſitandos parentes.

Accedere ad Moniales vetitum eſt omnibus tam Laicis, quam Clericis, quam Regularibus. Ratio finalis hujus prohibitionis eſt, ut Sanctimoniales e publicis, & mundanis aſpectibus ſeparatæ, valeant liberius ſervire Deo, & laſciviendi opportunitate ſublata, Cœleſti Sponſo corda ſua, & corpora in omni Sanctimonia diligentius cuſtodire queant.

Ac-

Acceſſus ad Monaſteria ad colloquendum cum Moniali ſtrictius prohibitus eſt Religioſis; itaut ſi Religioſus inventus ſit ad Monaſterium abſque licentia Epiſcopi, poſſit ab eodem carcerari, etiam ſi Monaſterium ſit ſubjectum Regularibus, quia Epiſcopi ſunt Sedis Apoſtolicæ Delegati pro conſervanda Clauſura Monialium quarumcunque exiſtentium in propria Diœceſi.

CAPUT XVIII.

DE SOLLICITATIONE, SEU DE CONFESSARIO SOLLICITANTE.

EX Bulla Gregorii XV. nomine Confeſſarii ſollicitantis venit primo ille, qui in actu Sacramentalis Confeſſionis provocat, allicit, & excitat ad actus inhoneſtos, & a Pœnitente tale aliquid petit, vel procurat exequendum ab ipſo, vel in actu Confeſſionis, vel per Confeſſionem, vel cum ipſo Confeſſario, vel cum aliis; ſecundo, ſi Confeſſarius ante, vel poſt Confeſſionem immediate inhoneſtos tractatus habuerit: tertio, ſi prætextu Confeſſionis, etiam Confeſſione non ſecuta, illud idem præſtiterit. Quarto, ſi extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco, ubi Confeſſiones Sacramentales audiri ſolent, ſimulans ibi audire Confeſſionem Sacramentalem, ten-

tentet ad inhoneſta Pœnitentes, aut cum iiſdem inhoneſtos tractatus ſive ſermones habuerit.

Sollicitatio eſt peccatum graviſſimum ſacrilegii ob injuriam, quæ fit Sacramento Pœnitentiæ, & propter odium, quod ingeritur contra hoc Sacramentum. Poteſt tamen abſolvi a quolibet Confeſſario, quia in jure nemini eſt reſervatum.

Pœnitens ſive Maſculus, ſive Femina ad turpia, ac inhoneſta ſollicitatus, vel cum quo Confeſſarius inhoneſte ſe geſſerit aliquo ex ſupradictis modis, ſive Pœnitens conſenſerit, ſive non, tenetur denunciare ſacro Tribunali Inquiſitionis, vel Ordinario loci Sollicitatorem, alioquin talis Pœnitens nequit abſolvi, ſi monitus non denunciet, immo etiam incidit in excommunicationem, latam in edictis Inquiſitorum.

Confeſſarius ſollicitans nedum eſt ſacrilegus, ſed etiam ſuſpectus de hæreſi.

Quæres, utrum denunciationi ſit præmittenda ſecreta monitio, ſeu fraterna correctio,

Reſpondetur negative, ut habetur expreſſum in Conſtitutione Alexandri VII. Dices: correctio fraterna eſt de præcepto divino, ut conſtat in Evangelio, ubi Chriſtus eam præcepit: denunciatio vero eſt de præcepto Eccleſiaſtico; ergo illud prævalet huic, ſicque &c.

Sed contra diſtinguenda eſt duplex denunciatio, alia Evangelica, alia judicialis. Correctio fraterna præmittenda eſt denunciationi Evangelicæ, non denunciationi judiciali; quia judicialis eſt præcepta

a le-

a lege in pœnam delicti, & Evangelica eſt præciſe in gratiam fratris, intendens illius emendationem, & ideo judicialis eſt præcipue in gratiam Religionis, & Sacramenti, quod bonum, utpote eminentius, & ſuperius prævalet bono privato Fratris.

Ex quo ſequitur, quod hoc præceptum denunciandi Cnnfeſſarium ſollicitatorem reſolvitur in divinum, quatenus jus divinum dictat, conſervandum eſſe bonum commune Religionis, & Sacramenti, & ideo in concurrentia alterius Divini ordinati ad bonum particulare, & privatum, eſt illi prævalens.

Hæc, Amice Lector, brevi Calamo perſtricta, typis tradidi /: ſi plura deſideres in hac tam prolixa materia, conſule Auctores diffuſe, luculenterque de ea tractantes, & præcipue ultra tot Doctiſſimos Theologos, & Moraliſtas tam Regulares, quam Sæculares, Noſtros Patres, Boſſium, Homobonum, Alarium, Bellarinum, Sbogar, Roſignolium, Giribaldum, & noviſſime P. Rotarium noſtræ Congregationis ex-Generalem emeritum, a quibus uberiorem colligere poteris meſſem, ſanioremque Doctrinam.

In-

Inſtitutio Parochorum, & Confeſſariorum pro caſibus, quorum abſolutio, ſeu diſpenſatio a ſacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

CUm ſæpe ſit experientia compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſti fideles, præcipue in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non irregularitatum, & caſuum, quoquo modo reſervatorum, ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus, irretitos, in illis lacrymoſe perſiſtere, continuis conſcientiæ agitationibus laborioſe perdurare, ejus mali cauſas ex ſequentibus provenire innotuit.

Primo, eo quod Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi pœnitentes recurrere contingit, in pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant; unde pœnitentes perplexos dimittunt, qui cum ad Ordinarium accedendi (præſertim ſi ſint feminæ) verecundia, aut timore retrahantur, conſilium ulterius requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, vel inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundo evenit, quod pœnitentes egeni re-

recognitionem pro ſollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exſolvere non valentes, mærentes, afflicti, ac conſcientiæ motibus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & forte (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Sacræ Pœnitentiariæ Miniſtri nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſponte oblatum, unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerena fronte complectantur.

Tertio accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta expoſita obtentæ, irritæ evadant, eo quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticeant; unde fit; quod litterarum executores, caſu poſtea pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quam expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant; quare pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miſerabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cum pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contigerit, caſuum qualitates, & circumſtantias conſiderent, cauſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne, quod occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta matrimo-

mo-

niorum ; nam publica , vel ad publicum redacta , non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores poterunt caſus Pœnitentium præfatos cum dictis circumſtantiis, & cauſis exponere, ſive Latino , ſive quocumque alio idiomate propriæ regionis ; nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque Regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet ; & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus nomen , cognomen , cui ſit a Sac. Pœnitentiaria reſcribendum , etiam ſi ipſum nomen, & cognomen ſit fictitium , itemque modum , per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit , ſignificando ſcilicet vulgari nomine, Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem , cum data menſis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epiſtolnm , ſeu ſupplicationem ſic .

Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domine

N. Mulier emiſit votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ , niſi nubat ; ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam , ſeu ſupplicationem ſic.

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere ad N. & N. exprimant nomen, & cognomen illius, cui eſt reſcribendum. Ad Civitatem. N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve , ſeu gratiam ſimplici Confeſſario , ſeu Confeſſario

Ma-

Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pænitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & præſertim feminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſcribendo, extra, ſeu a foris, in hunc modum.

Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.

Et ſi tardaverit reſponſio, Confeſſarii reſcribant, & ſi opus fuerit, ſemel, & iterum, ne forte prior Epiſtola ſit deperdita.

Rogantur inſuper Parochi, ſive Confeſſarii, ad quos præſens inſtructio pervenerit, illius notitiam, quibus poterunt, pro animarum ſalute communicare.

Ne elaborent nimis Confeſſarii in dando executionem litteris, ſeu gratiis Sacræ Pœnitentiariæ, impreſſus eſt Romæ in Typographia Apoſtolica liberculus, cujus titulus eſt: MANUDUCTIO AD EXEQUUTIONEM LITTERARUM SACRÆ PŒNITENTIARIÆ, NECESSARIA CONFESSARIIS, PAROCHIS, EPISCOPIS, ET RELIGIONUM SUPERIORIBUS, in qua non ſolum datur modus exequendi litteras Sacræ Pœnitentiariæ, ſed etiam modus legendi brevia charactere Gotico ſcripta.

F I N I S

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD LAUDEM, ET GLORIAM OMNIPOTENTIS DEI, DEIPARÆ IMMACULATÆ VIRGINIS, EJUSQUE GENITORUM, ET PATRIARCHARUM JOACHIM, ET ANNÆ, AC APOSTOLORUM PRINCIPIS PETRI, ET EJUS COAPOSTOLI S. PAULI DOCTORIS GENTIUM, MEÆQUE CONGREGATIONIS PATRONI.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google